



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>




This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.






29889 1.7



[Faint, illegible text or markings on the left side of the page]





BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM
TEUBNERIANA.

C. VALERI FLACCI SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBRI OCTO. VIII

RECOGNOVIT

AEMILIUS BAEHRENS.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXV.

1875

SCRIPTORUM GRAECORUM ET ROMANORUM TEUBNERIANA.

Erschienen sind bis jetzt (Januar 1875):

A. Griechische Autoren.

Aeliani opera, 2 voll.	Mk. 9 —	Iliadis carmina XVI, ed. Köchly	Mk. 3 —
— varia historia	" — 90	Iosephus Flavius, 6 voll.	" 12 60
Aeneae comment.	" 1 35	Isaeus	" 1 20
Aeschinis orationes	" — 90	Isocratis orationes, 2 voll.	" 2 70
Aeschyli tragoediae	" 1 20	Luciani opera, 3 voll.	" 6 30
— Jedes Stück einzeln	" — 30	Lycurgus	" — 60
Aesopicae fabulae	" — 90	Lydus de ostentis	" 2 70
Anacreon	" 1 —	Lysiae orationes	" 1 20
Andocidis orationes	" 1 20	Manetho	" 1 50
Anthologia lyrica	" 4 50	Metrologici scriptores, 2 voll.	" 5 10
Antiphontis orationes	" 2 10	Nicomachus Gerasenus	" 1 80
Apollodorus	" 1 —	Nonnus, 2 voll.	" 9 —
Apollonii Rhodii Argonaut.	" 1 —	Onosander	" 1 20
Appiani hist. Romana, 2 voll.	" 6 —	Pausanias, 2 voll.	" 3 60
Aristophanis comoediae, 2 voll.	" 3 —	Philostrati opera, 2 voll.	" 8 25
— Jedes Stück einzeln	" — 45	Pindari carmina	" 1 —
Aristoteles de part. animal.	" 1 80	Platonis dialogi, 6 voll.	" 10 50
Arriani expeditio Alex.	" 1 20	Plotinus, 2 voll.	" 6 —
— scripta minora	" 1 —	Plutarchi vitae, 5 voll.	" 8 40
Athenaeus, 4 voll.	" 12 —	(Auch in 14 einz. Abtheilgn.)	
Babrii fabulae	" — 60	Plutarchi moralia. Vol. I	" 1 80
Bucolici Graeci	" — 60	Polemon	" 1 —
Cebetis tabula	" — 60	Polyaenus	" 4 50
Demosthenis orationes, 3 voll.	" 4 50	Polybius, 4 voll.	" 10 80
Auch in 6 einzelnen Heften à	" — 75	Porphyrius	" 1 80
Dinarchi orationes	" 1 —	Proclus	" 6 75
Dio Cassius, 5 voll.	" 13 50	Quintus Smyrnaeus	" 1 50
Dio Chrysostomus, 2 voll.	" 5 40	Rhetores Graeci, 3 voll.	" 9 —
Diodorus Siculus, 5 voll.	" 15 75	Simeon Seth.	" 1 80
Dionysius Halic. 4 voll.	" 10 80	Sophoclis tragoediae	" 1 50
Erotici scriptores, 2 voll.	" 7 50	— Jedes Stück einzeln	" — 30
Euripides, 2 voll.	" 3 —	Stobaei florilegium, 4 voll.	" 9 60
— Vol. III. fragmenta	" 2 70	— eclogae, 2 voll.	" 6 —
Eusebius. Vol. I—IV	" 15 —	Strabo, 3 voll.	" 6 —
Fab. Rom. graece conscr. Vol. I.	" 3 75	Themistii paraphrases, 2 voll.	" 6 —
Heliodorus	" 2 40	Theodorus Prodromus	" — 50
Herodianus	" 1 20	Theophrastus Eresius, 3 voll.	" 6 60
Herodoti historiae, 2 voll.	" 2 70	Theophrasti characteres	" 1 20
Hesiodus	" — 45	Thucydides, 2 voll.	" 2 40
Historici graeci min., Vol. I & II	" 8 25	Xenophontis expeditio Cyri.	" — 75
Homeri Ilias, 2 voll.	" 1 50	— historia graeca	" — 90
— — mit Einleit. v. Sengebusch	" 2 25	— institutio Cyri	" — 90
— Odyssea, 2 voll.	" 1 50	— commentarii	" — 45
— — mit Einleit. v. Sengebusch	" 2 25	— scripta minora	" — 90
Hymni Homerici	" — 75	Zonaras. Vol. I—V	" 15 75
Hyperidis orationes	" 1 35		

B. Lateinische Autoren.

Ammianus Marcellinus. Vol. I. Mk. 3 60	Ciceronis oration. selectae. 2 voll. Mk. 1 50
Anthologia lat. Vol. I. fasc. I & II " 7 50	Ciceronis oratt. XVIII. ed. Eber-
Augustinus de civit. Dei, 2 voll. " 6 —	hard et Hirschfelder. " 2 —
Boetii libri de inst. mathem. et	Ciceronis epist. select. Pars I " 1 —
de inst. musica " 5 10	— epist. select. Pars II " 1 50
— de consolatione libri V " 2 70	— — ed. Wesenberg. 2 voll. " 6 —
Caesaris commentarii ed. Oehler	Cornelius Nepos " — 30
— comment. ed. Dinter. Vol. I	Curtius Rufus " 1 20
et II " 2 —	Dares Phrygius " 1 20
— — de bello Gallico. Ed. min. " — 75	Dictys Cretensis lib. VI " 1 50
— — de bello civili. Ed. minor " — 60	Dracontii carmina " 1 20
Catulli Tibulli Propertii carmina	Eutropius " — 30
Catullus " — 45	Florus et Ampelius " 1 —
Celsus " 3 —	Frontinus " 1 50
Censorinus " 1 20	Gajus " 2 70
Ciceronis opera, 11 voll. " 22 35	Gellius, 2 voll. " 3 30
(Auch in 37 einzelnen Abthlgn.)	Historia Apollonii regis Tyri " 1 —

C. VALERI FLACCI SETINI BALBI

ARGONAUTICON

LIBRI OCTO.

RECOGNOVIT

AEMILIUS BAEHRENS.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCLXXV.



LIPSIÆ: TYPIS B. G. TEUBNERI.

EDITORIS PRAEFATIO.

-C. Valerius Flaccus num mortem obiens Argonautica ad finem perducta iam ediderit an imperfecta reliquerit, multum inter uiros doctos disceptatum est. qua de re certius iudicium ferre licebit, si quem in annum dies illius supremus cadat constabit, cum autem Quintilianus in institutionum oratoriarum, quas circa a. 90 p. Chr. n. confectas esse probabiliter statuerunt, libro X [1, 90] haec scribat: 'multum in Valerio Flacco nuper amisimus', hinc nonnullos ante a. 90 annos e medio cecidisse Flaccum colligitur. qui quod libri quarti u. 507 sqq. canit:

sicut prorupti tonuit cum forte Vesaeui

Hesperiae letalis apex, uixdum ignea montem

torsit hiems, iamque eoas cinis induit urbes,

hoc non potest non pertinere, ut iam Loebachius [II p. 8] bene uidit, ad montis Vesuuii eruptionem a. 79 factam. itaque non multum a uero aberrare nobis uidemur, si anno fere 85 Valerii mortem accidisse statuimus. primum autem Argonauticorum librum recitatum esse a. 71 suo iure uiri docti ex prooemii u. 11 sqq. concluderunt. itaque si a. 85 diem fatalem Flaccus obiit, quindecim fere anni ad elaboranda Argonautica ei suppetiuerunt. difficile quidem est in tanta singulorum ingeniorum diuersitate, quantum poetae epici temporis in singulis libris componendis consumpserint, certo affirmare; ex

paucis tamen quae huc pertinent Romanorum locis hoc mihi effici posse uidetur, unum fere annum ad unumquemque maioris alicuius carminis epici librum absoluendum impensum esse. nam et Vergilius undecim annis in Aeneide condenda consumptis nondum tamen ultimam ut aiunt manum ei addiderat et Statius in Thebaidos fine [XII 811] 'o mihi bisseuos' ait 'multum uigilata per annos Thebai'. nec parui ad hanc quaestionem momenti est locus dialogi Tacitei, in quo [c. 9] de Saleio Basso haec legimus 'ut, cum *toto anno*, per omnes dies, magna noctium parte, *unum librum* excudit et elucubrauit, rogare ultro et ambire cogatur ut sint qui dignentur audire.' hunc igitur morem, quo poeseos epicae studiosi unius anni spatium singulis libris excudendis impendebant, si Valerius secutus est, post a. 79 librum octauum iamdudum absoluerat. sin uero res usque ad libri VIII u. 467, qui nunc totius operis est ultimus, tractatas accuratius inspexeris itaque quonam modo poeta noster historias suas pertexere soleat cognoueris, tantum materiae superesse uidebis, facile ut quattuor libris integris suffecerit. neque dubito quin Flaccus Vergilium aliosque secutus Argonautarum res gestas duodecim libris cecinerit. itaque qui a. 71 primum librum et deinceps annuis recitationibus libros insequentes praelegerat, is fere a. 82 totum opus persoluerat. quod auctum emendatumque, ut fieri solebat, a. 83 uel 84 emissum puto; unde in libro IV, qui secundum nostram computationem a. 74 recitatus est, rei multo post gestae fieri mentionem explicatur. iam cum priore cura dimissa nouae cogitationi toto pectore incumberet Valerius, praematura morte litteris est ereptus. unde optime intellegitur Quintiliani dictum unicum opus integrum a poeta docto relictum esse dolentis.

His rationibus adducti ea quae post VIII 467 nunc desunt librarii incuria periisse Heinsium secuti opinamur. licet enim argumentatio nostra fundamento innitatur debili, eandem tamen arte et ratione esse institutam facile mihi concessuros confido iudices aequos. certe multum mul-

tumque illa praestat sententiae eorum qui Valerium Argonautica imperfecta reliquisse censent. cuius rei nuper Thilo eiusque assecla Schenkelius uel in singulis libris indicia certissima deprehendisse sibi sunt uisi. nam ubicumque fere sententias hiantes, uersuum ordinem turbatum, uerborum sordes maculasque inuenerunt, statim haec ad carminis imperfecte relictis et a poetae mortui amico quodam non sat religiose editi miseram conditionem artificio nunc adamato rettulerunt. eidem tamen aliis locis plurimis non potuerunt non agnoscere librariorum malam manum. equidem qui bene intellegam quam sit periculosae plenum opus aleae, in tam deplorato unico quo Argonautica aetatem tulerunt codicis statu diiudicare quae uitia archetypo a poeta relicto, quae monachis sint tribuenda, nihil magis cauendum duxi quam uirorum illorum doctorum rationes lubricas fallacesque, cum praesertim eas omni a parte falsissimas esse persuasum habeam.

Scripta esse Argonautica tota ad exemplar Aeneidos Vergilianae notum est. tam prudenter autem scienterque Valerius ad huius normam suum poema conformauit ut iudicium pariter atque ingenium poetae suspiciamus. sunt autem de nulla fere re quae ad antiquos pertineat scriptores tam uariae tamque falsae plerumque opiniones latae quam de imitationis studio apud poetas Latinos obuium. nam si hodie quidam apud duos diuersi temporis poetas uersus ex aliqua parte similes inueniunt, ilico auctorem aetate posteriorem excripsis priorum clamant. notabile talis peruersitatis exemplum nuperrime praebuit Schenkelius, qui uelut oestro quodam percitus Valerium nostrum in uerbis uel tritissimis ubique anteriores imitatione expressisse statuit; ueluti non erubuit contendere [stud. p. 102] illa in codicibus tradita [V 125 sq.] 'est uera propago sanguinis, est ollis genitor deus' scripta esse ad exemplum Ouidii, qui in transmutationum libri II u. 38 dixerit 'per quae tua uera propago credar.' quam enim ineptum sit locis a sententia inter se dissimillimis propter duorum uocabulorum uolgatissimorum similitudinem sta-

tuere, alterum poetam ex altero hausisse, quis non sentit? quasi uero formula illa 'uera propago' non unusquisque poeta Romanus sua sponte uti potuisset! sed misso Schenkelio arte potius et ratione quid de hac re iudicandum sit uideamus. bene autem distinguendum est inter uerborum similitudines quasdam quae inter duos uel complures poetas intercedunt, id est, inter eas similitudines quae sua sponte ex uerborum formulis proueniunt et eas imitationes seu potius aemulationes quas imitandi bene conscii admiserunt poetae. fortuitae autem illius similitudinis, quae in uocabulis compluribus a diuersis poetis iteratis cernitur, tres potissimum inuenio causas: memoriam, consuetudinem, linguae Romanae penuriam. cum enim omnes Romani liberaliter instituti primum Ennium, mox Lucilium, deinde Vergilium et Horatium in scholis diligentissime lectitarent cumque uates eos qui praeclarissimi et erant et habebantur numquam in uita posteriore plane abicerent, sed eis tamquam fidelissimis in omni casu comitibus et in otiis et in negotiis delectarentur, consentaneum fere est illos carmina eorum pleraque memoria tenuisse. cuius rei exemplum insigne exhibet Seneca philosophus, qui plurimos Vergilii maxime et Ouidii uersus cum libris suis inseruerit ita tamen adfert ut plerumque illum non euoluisse, sed memoriter reddidisse eorum poemata appareat [cf. Aemilius Hermes, quaest. crit. in Sen., Meursae 1874]. quanto autem magis principes in suo genere uates nocturna uersasse manu, uersasse diurna putabimus eos qui ipsi ad Musarum fontem erant accessuri! hos igitur, cum carmina pangerent, sponte sua saepe in easdem uerborum formulas incidisse quas in exemplaribus suis iterum iterumque legerant, numquid mirum est? accedit quod in antiquitate, siquid semel bene inuentum erat in litteris artibusue, id sine rubore a posterioribus in proprium usum uocabatur et quasi in commune bonum cessit. iam siqua locutio in poesi ciuitatem erat adepta, ut aliquotiens metro, ita consuetudine plerumque euenit ut nisi certis uersus sedibus non

adhiberetur. exemplo rem inlustrabo. postquam igitur pater Ennius [ann. 266] dixit:

mox auferre domos populi *rumore secundo*,
illud 'rumore secundo' in tota poesi dactylica non positum inuenis nisi in fine uersus hexametri. sic Suetonius in annalium, nisi fallor, libro V [Lucilius ed. L. M. p. 311]:

— redeunt, referunt laeti *rumore secundo**)
et Vergilius [VIII 90]:

ergo iter inceptum peragunt *rumore secundo*
et Horatius [epist. I 10, 9]:

quae uos ad caelum effertis *rumore secundo*
et Claudianus [epith. Pall. et Cel. 63]:

secessit regio quo non *rumore secundo*.

parum autem credibile est aut Vergilium Horatiumue Ennii uel Suetonii aut Claudianum Horatii uel Vergilii fuisse bene memores, cum ponerent illud 'rumore secundo'. immo memoria ac consuetudine certa formulae illius sedes nata est. innumera autem eius quod modo commemorauimus similia exempla possunt afferri. quae cum maxima ex parte Antonius Zingerle, homo diligens, in libro non inutili cui inscriptum est 'Ovidius und sein Verhältniss zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern' composuerit, singillatim enumerare omitto; hoc tamen addo nec Zingerleium satis distinxisse similitudines fortuitas et eas imitationes quae consulto dataeque opera sunt factae. ad quas iam transeamus.

Quod de Nasone testatur Seneca rhetor [p. 27, 14 Kiessl.]: 'itaque fecisse illum quod in multis aliis uersibus Vergilii fecerat, non subripiendi causa, sed palam aemulandi**), hoc animo ut uellet agnosci', id de toto hoc imitationis studio dicendum est. itaque ut Vergilius

*) traditum est 'petita rumore secundo', quod corrigere studui. post ea enim quae supra dixi nemo iam cum L. Muelero locum transponendo sanabit.

**) 'emulandi' scripsi: 'mutandi' codd. sine sensu; 'mutandi' Kiesslingius, recte utique si 'uerbis' pro 'uersibus' legeretur.

Ennii et Horatii satirarum scriptor Lucilii uestigiis ita erant ingressi ut praeclarissima quaeque eorum loca libere aemularentur eorumque flores delibarent [cf. Macrobius VI 1 et Gellius I 21, 7], sic Vergilii maxime carmina qui postea poesis epicae extiterunt cultores imitabantur ita ut procul habita spoliandi et excubendi cogitatione ingenua aemulatione cum eo uellent certare. nimirum habebant illi in recitationibus auditores eos qui, cum ipsi lectione Vergilii essent imbuti diligenti, facile num feliciter necne nouo poetae aemulatio illa cessisset diiudicarent. itaque posterioris aetatis epicos non solum in imaginibus comparationibus *ἐπεισοδίοις* compositione, sed etiam in singulis interdum locutionibus (quamquam de hac quidem re difficillimum est iudicium) Vergilium cum libera aemulatione imitari uidemus. sic cum Valerius ex. gr. in libri secundi [u. 174 sqq.] *ἐπεισοδίῳ* quodam Venerem mulieres Lemniacas facit instigantem, aperte sequitur Vergilii [V 618 sqq.] descriptionem simillimam; sic, cum in uiri alicuius fortissimi cum Lucifero comparatione Vergilius [VIII 590] adiecisset 'quem Venus ante alios astrorum diligit ignes', Valerius [VI 528] in eadem comparatione ita eum aemulatus est ut poneret 'quem Venus inlustri gaudet procedere caelo'. talibus in aemulationibus nescio an nullus poeta Romanus prudentius et, ut ita dicam, pudentius sese gesserit Valerio. alii enim, ut Silius Italicus, interdum nimis anxie ac timide, alii, ut Statius, nimis callide ac paene fraudulenter Vergilii uestigia presserunt; certe de Statio rectissime ipsius uerbis [Achill. I 60] a uiro docto nescioquo dictum est eum uulpis instar deleuisse pedum uestigia caudis. et hac quidem libera aemulatione optimum quemque poetam latinum cum nobilissimis prioris temporis uatibus certare uidemus. sed enim labente iudicio simul et poesi ultimis antiqui aevi temporibus eo peruenit res ut, cum Ma-uortius de ecclesia centonem mere Vergilianum declamasset, auditores eum non ut furem impudentissimum exhiberent, sed ut Maronem, si dis placet, iuniorem celebrarent

[Anthol. lat. R. I p. 48]. — sed ad Valerium ut redeam, in fine huius editionis adieci tabulam locorum eorum quibus ille ex Vergilio pendeat aut certe pendere uideatur. neque enim illam sic accipi uolo, tamquam omnibus locis imitationem esse exploratam putem; immo haud pauca loca, in quae quod supra de similitudine fortuita dixi cadat, me dedisse probe scio; sed tamen talium quoque locorum obseruatio accurata suam habet utilitatem. praeter Vergilium num alios poetas Romanos imitatione expresserit Valerius, ea res admodum incerta est. nam ex Ouidio, qui quidem certus sit atque indubitatus, locus adlatus est nullus. ex Lucano [VIII 176 sqq.] possunt uideri fluxisse uersus qui leguntur II 61—65 (id quod bene uidit Weytinghius ad Homer. Lat. p. 329 sq.) et pauci alii.

Multo autem magis est dubium, quibus Valerii Argonautica poëtis insequentibus exemplo fuerint et ipsa. nam quae loca Silium aemulatum esse Schenkelius putauit, ea uero maximam partem nihili esse rectissime monuit nuper Hermannus Blassius in Fleckeiseni annalibus [a. 1874 p. 494 sqq.]. unum Statium hic illic, in enarranda maxime uirorum Lemniacorum caede, Valerii exemplar sedulo obseruasse constat. nam de Claudiano res dubia est, quamquam in opusculis de raptu Proserpinae nonnulla ille non sine recordatione poetae nostri scripsisse potest. sed omnium falsissima est Schenkeli de Claudio Mario Victore Valerii imitatore opinio. unum tantummodo Dracontium ex ultimis imperii Romani scriptoribus noui quem Valerium non sine fructu legisse possit adfirmari; certe in carmine illius de raptu Hylae composito quaedam lectionem Valerianam aperte produnt.

Argonautica unico codice scilicet Vaticano 3277 saec. IX [V; de eo cf. Thilo proleg. p. XL sqq.] propagata ad nos peruenerunt. ex eo enim fluxerunt cum liber Sangallensis [cf. Thilo l. l. p. LXV sqq.], tum recentiores codices omnes, inter quos Monacensis c. lat. 802 [M] summum optinet locum. ex eodem Vaticano prouenit

etiam codex Carrionis, de quo mihi paucis agendum est. in Valerii enim editione a. 1565 Antuerpiae emissa Ludouicus Carrio codice quodam Belgico ante sexcentos annos exarato se usum esse affirmavit plurimasque ex eo lectiones in medium protulit. quas lectiones cum saepe emendatiores eis quas Vaticanus praebet esse uiderent, haud pauci uiri docti Carrionis librum summi esse faciendum censuerunt. cuius opinionis acerrimus nuper defensor extitit Gustauus Meyncke, qui in quaestionum Valerianarum parte priore de hac re sane et diligentissime et accuratissime disseruit. et erat cum huius disputatio mihi imponeret. sed enim iterum iterumque examinatis singulis libri Belgici scripturis ad sententiam plane contrariam perueni. nam paucae quas habet ille bonae lectiones ita sunt comparatae ut facillima coniectura ex ipso V elici potuerint. his autem paucis bonis scripturis obstat permagnus numerus lectionum pessimarum quaeque ueri tantummodo specie quadam fallant. plerumque enim certissimis argumentis interpolatorem agnoscimus qui Vaticani memoriam deprauatam utcumque emendare studuerit. in quo emendandi negotio, etsi interdum feliciter, multo tamen saepius auersis Musis uersatus est corrector iste, quin haud raro loca sanissima praue adtemptauit. horum aliquot Meynckius l. l. p. 8 composuit. qui cum inde, quod his locis emendandi nulla appareret causa, concluderet Carrionis codicem saepe scripturas praebere proprias neque e Vaticano pendentes, oblitus est quam saepe saeculi XV docti Itali mera coniectandi libidine acti uerba tradita immutauerint necessitate cogente nulla. cuius rei unicum proferam exemplum, Panegyricorum latinorum codicem Vaticanum 1775. cuius corrector ut haud pauca librariorum uitia egregie emaculauit, ita et plurimas corruptelas pessime temptauit et haud raro scripturas nulli suspicioni obuias uiolentissime mutauit. et hercle tales coniecturas e mera mutandi prurigine natas in quouis fere saeculi XV codice deprehendere licet. non possum autem accedere Ieepio aliisque qui, cum excerpta

Parisina saec. XIII [Thilo l. l. p. LXXXV] cum Carrionis codice duobus locis consentire uiderent, hinc eum non ex Vaticano ortum esse statuerunt. nam excerptorum istorum eadem est indoles atque libri Belgici: nimirum in utroque maculae antiquitus traditae, quoad eius fieri potuit, sublatae sunt. itaque quod C cum Parisinis excerptis I 330 pro Vaticani lectione 'paucis' praebet 'raucis', id quam facile ab utroque correctore inueniri potuerit apparet. quod autem uersu insequenti C et Paris. pro inepto illo 'cretamque' reposuerunt 'polumque', id quoque in utroque ex qualicumque coniectura secundum locum Statianum [Theb. XI 67] natum est. nam et florilegii Parisini excerptorem et codicis Carroniani interpolatorem Statium bene nosse potest demonstrari. itaque omnibus libri Belgici lectionibus diligentissime perpensis eum nihil aliud esse quam Vaticani apographum docti cuiusdam Itali manum emendatricem passum Thilonem Schenkeliumque secutus nunc censeo. non tamen Carrionem ipsum fraudem fecisse, sed deceptum esse eo quod codicis scriba saeculi decimi scripturam imitatus esset (id quod aliquoties saec. XV factum esse constat), probabiliter statuerunt eidem.

Codicem igitur Vaticanum unicum in restituendis Valerii uerbis ducem habeamus. tantopere autem ille deprauatus est, fere nullus ut uersus a corruptela sit immunis. quamquam non is qui V exarauit plus solito peccauit; nam hic, ut erat homo linguae latinae paene ignarus, depinxit magis quam descripsit litteras traditas; itaque quae huic debentur uitia sanatu sunt facilia fere omnia. sed enim corruptelae labes inde ab antiquo aeuo serpens summam paulatim stragem iam ante libri V tempora ediderat. et pleraque quae scriptores antiqui contraxerunt menda iam in ipsa antiquitate esse orta hodie fere scitur. neque solum stupidum scribarum genus mera uocabulorum monstra procreauerat multosque uersus prae omiserat, sed etiam grammatici cuiusdam curae criticae in ipsum uerborum contextum sunt receptae. quamuis

enim fuerint qui interpolationibus Argonautica deformata esse negarent, mihi tamen de hac re plane constat. sic ex. gr. non potest non referri ad criticum quendam quod post uerba corrupta mancaque [VII 201] 'hoc satis ipse etiam spectare supremos' hic in V legitur uersus 'ei mihi necasus etiam spectare supremos'. aliis quoque locis tam aperta est res ut nemo, nisi forte caecus, non agnoscat. itaque, ut nonnumquam a diligenti eorum quibus V maxime laborat uitiorum obseruatione, ita maxime a domina illa atque regina ratione et ab accurata sermonis poetici notitia carminis Valeriani progredi debet emendatio. sed hac in parte post Heinsium parum praestiterunt. nam Thilo; qui anno h. s. LXIII Valerium edidit, eo quidem quod primus libri Vaticani scripturas omnes accuratissime adnotauit bene de poeta nostro meruit, sed de his meritis multum detraxit ipse, cum librorum uitia apertissima plane neglectis eis quae latinitas quaeque ratio posceret atrocissime in prolegomenis defenderet plurimisque uulneribus foedissimis Argonautica relinqueret hiantia.

Thilonis operam qui ex parte corrigerent deinde extiterunt; nam patefacta iam librorum memoria complures ad emendandum carmen adtulerunt symbola. quorum e numero ante omnes cum honore commemorandi sunt Gustauus Meynckius, qui et in quaestionibus Valerianis Bonnae a. 1865 editis [I] et in dissertatione Musei Rhénani uol. XXII inserta [II] commenta egregia protulit haud pauca, et Philippus Wagnerus, qui ut ante Thilonis editionem in Philologi uol. XX [I] ita in censura illius [Fleckeis. anal. 1864; II], etsi interdum nimia uolentia rem egit, quaedam tamen uitia optime sustulit. neque Hauptius [in Hermae uol. III. IV. VIII] et Maduigijs [Aduers. II] inutiliter de Valerio disputauerunt. denique sua laude non fraudandus Loehbachius [in duobus gymnasii Antonnacensis programmatis]. omnium uero infelicissime, ut omnino in poetis latinis, ita in Argonauticis emendandis uersatus est C. Schenkelijs, qui quae in editione sua e

Weidmannorum officina a. 1871 emissa in textu mutauerat ea commendare ac stabilire studuit in proprio libello cui inscripsit 'Studien zu den Argonautica des Val. Flaccus.'

Itaque cum restare uiderem ut tandem Argonautica detersis maculis talia fere qualia a poeta essent edita restituerentur, equidem uiam ab Heinsio optime olim initam ingredi nullus dubitavi. neque, si certa medela non esset in promptu, ad coniecturas dubias confugere et uiolentioribus interdum mutationibus uti sum ueritus. quod qui carminis corruptionem ingentem habent cognitam non uituperabunt. lectionis autem uarietatem adieci nullam, cum eis qui quid antiquitus traditum sit accurate cognoscere uelint selectus quem uocant apparatus criticus (qualem solum, nisi Thilonis copias expoliare uolebam, dare potui) nihil omnino prosit, ei autem qui legendo carmen gustaturi sint facile illo careant. itaque in eis quae iam secuntur pagellis tantummodo quibus locis a Thilone recesserim quam breuissime indicabo causas, nisi ubi ex re uisum est, non adiectis; has enim lectores attentos et poetarum latinorum gnaros facile deprehensuros esse ipsos confido.

I 11 *ueterumque faue ueneranda canenti facta uirum.* non perspicitur cur ueterum facta audiant 'ueneranda', cum praesertim Valerius alias plane diuerso modo de eis iudicet: cf. III 15 'tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio, pande uirum' et V 217—221. senserunt id anteriores critici reposueruntque 'memoranda'. scribendum potius 'uenerande'; cf. VIII 181 'meminique, o Tiphy, tuorum saxa per illa, pater, memini, uenerande, laborum' et auctor Culicis 29 'Octaui, uenerande, meis adlabere coeptis, sancte pater'.

13 *Solymo ac nigrantem* scripsi: *Solymo nigrantem* codd. asyndeto plane intolerabili. de 'ac' traiecto cf. VI 599 et VIII 400.

15 *delubraque centum* Hauptius, Herm. III 214: *delubraque genti* codd.

18 sqq. *neque enim Tyriis Cynosura carinis certior aut Graeis Helice seruanda magistris, seu tu signa dabis seu te duce Graecia mittet et Sidon Nilusque rates.* ita fere codd. mirum autem est quam uiolentis remediis horum uersuum corruptelam tollere studuerint docti. optima autem eademque lenissima mutatione Gronouius [obs. I 18] dedit 'si tu signa dabis'. idem quod deinde 'si te duce' reposuit, id uero non laudamus. nam aperte ultima uerba opponuntur prioribus. itaque 'sed te duce' posui. postquam autem 'sed' in 'seu' abiit, paene consecrarium erat ut etiam prius illud 'si' traheret labem.

39 *occupat et fictis dat uultum et pondera dictis.* iure optimo offenderunt docti homoioteleuto illo 'fictis dictis'. praeterea illud 'uultum et pondera' a latinitate suspectum est. itaque scripsi 'et ficti dat uultus pondera dictis'; cf. Manilius [V 452] 'frontisque ac uultus componit pondere mentes'. — 'et' addiderunt post 'uultus' uocis deprauationem.

41 'daque manum' Heinsius perprobabiliter.

49 *lacera adsiduis tumque* scripsi: *lacera adsiduis namque V.*

51 *ut pendere* scripsi: *uel pendere V* sine sensu. quod cum sentiret Maduigijs, minus bene 'tu' reposuit.

58 sqq. *talibus hortatur iuuenem, propiorque iubenti conticuit, certus Scythico concurrere ponto Cyaneas, tantoque silet possessa dracone uellera.* post illa 'talibus hortatur iuuenem' admodum friget illud 'conticuit' tam nude positum. expectamus autem, ut ad 'silet', ita ad 'conticuit' additum esse obiectum quoddam. itaque, cum V praebeat 'certis', scripsi 'conticuit certas'. — 'Cyaneae concurrere certae' noto graecismo pro 'Cy. quae certe concurrent'; cf. Silius Italicus [XV 493] 'superari certior hostis'. — ceterum adnotatu est dignissimum, saepissime in V 'i' et 'a' uocales confusas esse; cf. I 17 'Tyrias—carinas'; 227 'ambige'; 429 'saluasque'; 619 'actus' 730 'sacri'. II 197 'adglomerit'. III 48 'oris'. IV

20 'silua'; 269 'trepida'; 702 'primis — oris'. V 411 'infrangitur'; 470 'moranti'; VII 102 'infida', alia.

63 *et dabat externo liuentia mella ueneno.* quidquid dicunt nonnulli, corrupta est uox 'externo'. lubet autem hic notare hominis cuiusdam imperitiam simul et coniectandi temeritatem. nuper enim Gustauus Hartelius [in ann. gymnas. Austriac. 1873 p. 144] confidenter 'ex tetro ueneno' reponendum ait. nimirum et a uocabulo 'taeter' ut optimum quemque poetam ita Valerium abstinuisse et illum praepositionis 'ex' usum Cypriano aequalibusque quam Valerio digniorem esse egregie ille nesciit. equidem omnino non uideo causam cur reicienda sit optima Eyssenhardtii coniectura 'interno'.

66 *scrutans tum* scripsi: *sectantum* V. nam cum olim 'sectans tum' coniecerim, hoc iam concedo Maduigio, sectandi uerbum non habere quaerendi notionem.

68 *currus et quos fren. drac. creditur* Hauptius [Herm. III 212]: *curru saeuos fren. drac. creditus.*

73 sq. *an socia Iunone et Pallade fretus armisona superet magis et freta iussa capessat.* ineptissimum est 'superet', quippe quod illud 'capessat' praecedere nequeat. neque uero ab Iasonis uoluntate pependit maria superare, id est, feliciter peruadere. scripsimus igitur 'speret magis'. nam sperandi uocabulum absolute positum habes apud Statium [silu. I 2, 78] et Iuuenalem [IV 57]. — 'magis' est nostrum 'uielmehr'; cf. quae dixi ad Sulpiciae u. 40.

89 *ictu*, scripsi: *igni* V absurde.

90 *tingent* Vossius: *cingent* V.

99 *poscere quos reuchat rebusque in saecula tollat* reuentionis commemoratio hic plane importune fit. cum 're' et 'que' aliquotiens in libris mss. locum mutasse sat constet, dedi 'quosque uehat'. deinde Burmanno auctore 'in sidera tollat' reuocaui; cf. Verg. Aen. III 462 et Valerius IV 555.

105 malim 'laude canunt uisi'.

110 non recte offensus est Phil. Wagnerus [II p.

383] illo 'uelit ille quidem', quod ex Valerio excipit Stadius [Theb. VI 477].

130 *hic insperatos Tyrrheni tergore piscis*. ita Gronouii ex coniectura nunc scribunt, cum V 'spectes etenim' ita habeat ut litterae 'ctes etenim' manu secunda sint additae. quid V a prima manu habuerit, docent eius apographa M et P tum confecta, cum ille nondum correctoris expertus erat manum. itaque cum M 'sperata', P 'insperato' (ita ut 'in' additum et 'o' ex 'a' a m. sec. correctum sit) habeat, antiquitus 'hic sperata Tyrrheni' traditum esse dicemus. quam scripturam sanau inserta uoce huic loco aptissima 'diu'.

132 *ipsa* addidi: om. V. 'illa' edd. ex C.

135 *nitidis* scripsi: *nudis* V languidissime. 'niueis' Hemsterhusius.

147 *adclinisque tapetis in mediis uacuo condit caput Hippasus auro*. haec uerba non uno nomine suspecta sunt. nam quod Heinsius ad illud 'in mediis' subintelligit 'Lapitharum et Centaurorum', acciperem si pugna non praecessisset. nunc cum alios fugae se dedisse, alios necatos esse paulo ante narratum sit, non potest ita intellegi illud 'in mediis'. quod cum neque cum uerbo praecedenti 'tapetis', quippe quod ab 'adclinis' uoce pendeat, coniungi queat, corruptum esse statuemus. latet autem in eo epitheton, nisi fallor, Hippasi. itaque indubitanter scripsi 'inmensus'. porro ineptum est 'uacuo auro', id quod egregie sensit Eyssenhardtus [mus. Rhen. XVII 379]. cuius rationibus hoc addo, Hippasum non prostratum in tapetis, sed adclinem tapetis, scil. parietinis, dici. itaque statuendum esset iocandi causa a Centauro quodam illius capiti uacuum poculum esse impositum. quod sane absurdissimum est. equidem, siquid noui Valerium meum, eum scripsisse affirmo 'inmensus uacua condit caput Hippasus auro', quibus uerbis inmane Centauri corpus egregie depingitur. fortasse tamen uituperandus est poeta quod num Hippasus ex

uulnere laborans an uero temulentus parieti se acclinauerit non accuratius enarrauit.

149 *haec quamquam miranda uiris stupet Aesone natus.* frustra haec uerba defendit Thilo [praef. p. XXXIII]. nam quod stupendi uerbo notionem 'adtonitum esse' subesse dicit, oblitus est Valerii usum dicendi. qui 'stupere ad' uel 'stup. in' dixit ad exprimendam eam quam Thilo h. l. agnouit notionem [cf. I 262; IV 712; V 375]; 'stupere aliquid' nihil nisi 'mirari' significat. quid autem tam dirum illa nauis pictura habuit ut eis adtonitus redderetur Iason? itaque nullus dubito quin librarii officias fecerint poetae. qui non potuit nisi haec fere scribere: picturas illas licet pulcherimas nihil plane curasse Iasonem utpote curis iactatum. emendauit itaque 'haec quamquam miranda nihil stupet Aesone natus'.

152 *num* Sabellicus: 'nunc' V.

156 *motanti* scripsi: *conanti* V.

174 *nec passus rex plura uirum.* 'sat multa parato eqs. non potest absurdus fingi illo 'sat multa'. nam aut una certa res aut omnia in nauigationem necessaria ut pararentur potuit iubere Acastus. et ut traditum 'multa' per se languidissimum est, ita addito illo 'sat' plane fit intolerabile. cum V tradat 'stat', Valerio reddidi 'uirumst, at'. deinde pro 'multa' id quod sententia flagitat 'cuncta' reposui.

183 *rapidos* scripsi: *avidos* V inepte.

199 *auet* codex Harlesii: *tamen* V.

206 *escendit* Heinsius: *aescendit* V.

213 *sedem* scripsi: *legem* V nimia breuitate; cf. V 538.

223 *quem circum uellera Martem aspicio?* rectissimo usus iudicio haec in suspicionem uocauit Meynckius [I p. 33 sq.]. cuius argumenta non credo fore ut quis refellat. eiusdem tamen coniecturam licet ingeniosam 'quod circa uellera monstrum' non possum probare propterea quod, cum Iasonis in impetrando uellere labor esset fere nullus,

eius rei a Mopso summas rerum uaticinato commemoratio fieri non potuit. non dubito quin uates bellum ex uellere aureo simul ac uirgine rapta inter Colchos et Graecos exortum paucis indicauerit. itaque scripsi: 'quem citum (uel 'excitum') uellere Martem aspicio'. nam quod nunc quidem participii 'citus' a forma 'cio' deriuati exemplum non suppetit, nihil curamus, cum inueniantur alia formae huius exempla haud pauca. ceterum cf. V 576 'tantis concita furoribus arma'.

226 *en Aldina: et V.*

227 *iamdudum minsas ambage ducemque terrificat.* ita fere V. et 'minsas' quidem recte in editionibus antiquis in 'Minyas' correctum est; sed ut lacunam explerent, uaria excogitauere docti. quod Heinsius, cui Thilo fere adstipulatus est, scripsit 'hac uates Minyas ambage', id neque ab externa neque uero ab interna probabilitate commendatur. neque enim addito illo 'uates' opus est, cum de Mopso sermonem esse ultro appareat. mihi intercidissee uidetur epitheton aliquod uocis 'ambage'. non puto autem reperiri posse quod et aptius sit et causam erroris melius declaret quam 'inuisa', certe facillime ante 'minsas' interlabi potuit.

230 *plenus fatis Phoeboque quieto.* de Idmone fatis pleno cum demum uu. 231—233 agatur, hic eius rei mentio praepostere fit. uerbis 'non pallore uiris, non ullo horrore comarum terribilis' oportet bina itidem membra opponantur quibus tranquillus pacatusque Idmonis status declaretur. itaque scripsi 'plenus pacis'. nam quod 'plenus' cum duplici casu coniungitur, in eo nemo prudens offendet; cf. Statius [silu. I 1, 15 sq.] 'iuuat ora tueri mixta notis belli placidamque gerentia pacem'; Ouidius [met. II 858] 'pacem uultus habet'.

233 *seu plenum certis interroget aera pinnis.* augures non aera, sed caelum interrogant. itaque pro 'interrogetera' unica syllaba duplicata scribendum est 'interroget etera', id est 'interroget aethera'. quod praeter loca a Burmanno adlata maxime comprobatur Statius [silu. V 3,

181] 'praesagumque aethera certis auguribus', nisi quod hic ex Valerio pro 'auguribus' aperte restituendum est 'alitibus'.

242 *tantisque* Heinsius: *quantisque* V.

250 *hanc uero socii* ex V reduxi.

256 *ostendebat* M: *ostenderet* V.

265 *placitoque* Aldina, Heinsius: *placidoque* V.

274 sq. *Sol ruit et totum Minyis laetantibus undae diduxere diem* ex V restitui. solis occidentis lumen per mare spargitur. inde undas ipsas diem quasi diduxisse audacter sane Valerius fingit.

281 *mirantibus* Bentleius: *miserantibus* V. mirum est certissimam critici principis emendationem adhuc spretam esse. tum enim in itineris initio non erat cur miserarentur undae. an mali uenturi praesagae erant? nugae haec sunt. ceterum cf. Ouidius [am. II 11, 1] 'mirantibus aequoris undis' et Claudianus [in Eutr. II 164] 'mirantibus extulit undis'.

291 *rabido* scripsi: *rapido* V. 'uix credibile est etiam nunc magistros esse qui ut olim pueros doceant *rapidum* non esse celerem, sed rapacem' Lachmannus [Lucr. comm. p. 253] uerissime monuit.

293 *extentasque* Aldina: *extremasque* V. uide tabulas Campanas et emendationem istam plane necessariam esse credes.

302 *adstare* scripsi: *instare* V. sed *astandi* uerbum in talibus uisis nocturnis sollemne est.

306 *nunc* Kochius, ego: *dumque* V. — *tuto* Gronouius: *toto* V.

307 *incertumst* ego: *incertus* V.

308 *iam iam* ego: *iam nunc* V; cf. quae dixi de his uersibus in Fleckeiseni annal. 1872 p. 200.

319 *obruit* scripsi: *obruad* V; cf. ad I 58 adnotata. coniunctiuum quomodo tuearis non uideo.

331 *deficiam a Scythicum* scripsi: *deficiamus cithicum* V. deinde V hoc habet 'metuens potumque cretamque', quod in C et excerptis Parisinis ita est correctum [cf.

p. XI] 'pontumque polumque'. nullis autem artificiis umquam probabiliter explicabunt quomodo simplex illud 'polumque' in 'cretamque' potuerit deprauari. itaque hoc antiquitus traditum, illud uero ex qualicumque coniectura repositum esse pro certo habemus. equidem ex 'cretamque' recte elicuisse mihi uideor 'petrasque'. qua uoce post Ennium ex poetis usi sunt Staius [Theb. I 333] et Seneca [Herc. Oet. 808]; cf. Anal. Catull. p. 51.

347 *cedantque* P M a m. sec.: *cedamque* V.

389 *felixque* scripsi: *feleuis* V.

417 *et e clausis quem destinet Aeolus antris*. haec cum aperte sint deprauata, Vossius reposuit 'quam destinet Aeolus auris'. potuit leniore mutatione uerum restitui 'quem—austris'. nam austrum, ut alii poetae latini, ita Valerius pro quolibet uento posuit; cf. I 97 'inexpertos temptare parentibus austros' et II 52 'quantis, pro Iuppiter, austris restitimus'.

436 *hinc* edd. uet.: *hic* V.

443 *tuō* scripsi: *tuo* V inepte. cf. I 353 'laeuom'. IV 200 'saeuos'. IV 575 'ruont'.

445 frustra illud 'pendit' nimiae brachylogiae incusant Eyssenhardtus et Phil. Wagnerus; cf. IV 478 'scelerumque mihi nunc crimina pendi' et Lucanus [II 313] 'quidquid Romani meruerunt pendere mores'.

449 *panderet* (id est 'siccaret') scripsi: *penderet* V. 'perderet' edd. sine sensu. — ib. *mersos* Heinsius: *miseros* V. an 'madidos'?

457 *nec tibi* scripsi: *et tibi* V.

460 *ferit* Burmannus: *petit* V.

467 *condiderit* Heinsius: *perdiderit* V.

485 *ouans* Heinsius: *auens* V.

486 *horrentem in* Heinsius: *horrentem* V.

490 *quam* Burmannus: *cum* V. et est illud 'non aliter quam' ut Vergilio ita Valerio sollemnis locutio. sexcentiens autem 'cum' et 'quam' uoculae in codd. confusae.

491 *complexus* edd.: *compressus* codd. insolite.

493 *auerso* Aldina: *aduerso* codd.

494 *ut* V: *it* Eyssenhardtus.

501 sq. *una omnes gaudent superi uenturaque mundo tempora quaeque uias cernunt sibi crescere Parcae.* haec uerba cum uiri docti ex illa quam Valerius in transponenda copula 'que' aliquotiens sibi sumpsit libertate defenderent, operam oleumque perdidisse mihi uidentur. nam omnibus quae adtulerunt locis ita transposita est uox illa ut tamen scriptoris sententia facile perspiciatur. hic nemo nisi a Burmanno monitus intellegit hunc esse uerborum ordinem: 'una cum Ioue omnes superi gaudent et Parcae quae cernunt uentura mundo tempora et uias sibi crescere'. talem sententiam si poeta uoluit exprimere, non potuit id facere et obscurius et ineptius. nam unusquisque Romanus uerba sic ut nunc leguntur posita non potuit intellegere nisi ita quasi primum omnes dei, deinde tempora, tertio denique loco Parcae gaudia cepissent. ergo non integrum hunc locum aetatem tulisse apertum est. sed ex uariis quas proposuerunt coniecturis nulla ita comparata est ut ea poetae manus restituta uideatur. equidem, quotienscumque hunc locum legi, in eandem quam Thilo incidi suspicionem, nimirum in ipsa uocula 'mundo' latere corruptelae sedem. uidetur autem mihi Valerius, postquam omnes deos gauisos esse significauit, ea quibus maxima fuit laetandi causa numina nominatim adtulisse. quodnam igitur praeter Parcas numen debuit uentura tempora summopere laetari? Bellona, puto. et ad hanc paulo post Iuppiter dicit [u. 545] 'uia facta per undas perque hiemes, Bellona, tibi.' itaque scripsisse aio poetam 'uenturaque Enyo tempora'. iam recte illud 'uentura tempora' ἀπὸ νομοῦ positum est iamque uoculae 'que' traiectio (pro 'Enyoque uentura tempora') conformis est ceteris exemplis Valerianis; cf. I 100, 103. II 224, 268 alia.

515 *ueris* Schraderus: *regum* V. an 'uerni'?

518 *auersis* Barthius: *aduersis* V.

524 *en teneros* scripsi: *et generos* V. quod inepte

defendunt locis qualia sunt Vergilii Aen. VII 98; 270 et XII 658.

528 sqq. *adfremit his quassatque caput qui uellera dono bellipotens sibi fixa uidet temptataque contra Pallas* eqs. magna hic inter doctos dissensio est utrum ante an post 'temptataque' sit interpungendum. nam cum iam multo ex tempore Mars uellera sibi fixa uidisset, addatur oportet id quod tum eis fieri uidit. sed si scribis 'sibi fixa uidet temptataque, contra' particula 'que' plane abundat. neque id simili Valerii loco defenditur ullo. quouis pignore contenderim a Valerio uenisse 'sibi fixa uidet tempta, actaque contra'. de uoce 'acta' cf. ex. gr. Maro [Aen. X 63] et Val. II 247.

535 *cum Pius: cur* V.

549 *iam Aldina: nam* V.

551 *damna Aldina: dona* V. quod qui *εἰρωνικῶς* (cf. Verg. Aen. X 881) dictum putant, neglegunt post illa 'gemitus irasque pares' id nullo modo fieri posse.

552 malim 'quot ad Troiam stantes hiberna Mycenae'; certe traditum 'fientes' admodum mirum est.

554 *ut Heinsius: et* V.

563 intacta reliqui quae tradita sunt 'me primum regia mundo — imposuit'. nam neque quae alii coniecerunt neque quod ipse olim proposui, ad persuadendum sunt apta.

537 malim 'emensus terras'.

581 *totidem Aldina: totiens* V. postquam in 'totidē' syllaba ultima ante 'demissa' intercidit, mutilum illud 'toti' crassa Minerua correxerunt.

582 sq. *nec scopulos aut antra minor iuxta altera tellus cernitur; illam Acamas habitat nudusque Pyragmon.* nullam fuisse alteram in uicinia terram minorem, quid nostrum interest scire? expectamus fere a Valerio expositum, non aequae periculosam fuisse alteram terram. lege 'minax iuxta'; cf. Maro [Aen. I 162] 'geminique minantur in caelum scopuli'. sed de scopulorum immunitate iam dixit poeta uu. 579—581; restat ut quonam

modo 'antra' fuerint minacia explicetur. itaque pro 'illam' legendum est 'illa'.

594 *cohibere* Heinsius; *prohibere* V.

600 *bello* scripsi: *uelo* V ineptissime. illud 'bellum' saepe Valerius pro 'manus armata' posuit; cf. I 551 sq. VII 627. VIII 138; 427.

606 malim 'iam tu hominum'.

609 *ualido contortam* edd.: *ualidam contortam* V.

637 *aspectu in misero uotis* scripsi: *aspectu in misero tota* V. Maduigijs 'asp. uota in misero' proposuit.

649 *iam* edd.: *tam* V.

653 malim 'madido grauis aura sinu'.

662 *Salmoneus, nondum ille furens, cum fingeret alti quadrifida trabe tela Iouis.* non possunt haec per latinitatem aliter intellegi quam Salmonea tum cum Iouem aemularetur nondum furentem fuisse. itaque scribendum esset 'nondum ille furens qui (uel 'ut') fingeret', nisi alterum subesset incommodum. Iouis enim fulmen non quadrifidum, sed trifidum fuit. parum autem credibile est Salmonea adeo mentis expertem a Valerio fingi, ut uel in insignibus Ioue maiorem se gestaret. genuinum esse puto 'nondum ille furens tum, fingeret alti qui trifida trabe tela Iouis'. — quod reposui 'qui' firmatur loco Vergiliano [Aen. VI 590] 'demens qui nimbos et non imitabile fulmen — simularet'.

671 *ut superum sic staret opus.* quod cum a grammatica ratione non possit stare, dedi 'sic constet'. nam ubi 'ē' post 'sic intercidit, ex 'stet' metri causa fecere 'staret'. — 'necessum' deinde scripsi, cum quod V praebet 'uicissim' non possit coniungi cum 'habet', nihili autem sit quod Schottus proposuit 'pontus auet'.

678 *pascet Pius: pascit* V.

680 *tantus nostras condere per urbes.* neque 'tantus' quo referatur habet neque ex eo quod V praebet 'concede' recte Heinsius fecit 'condere'. nam 'deum condere' pro 'deo statuum ponere' ab omni latinitate abhorret. itaque reposui 'sanctus nostrasque colere per urbes'.

681 *sequuntur Aldina: sequentum V.*

699 *futura* scripsi: *futuris V.* ex 'futura' primum 'futuri' (cf. ad I 58), deinde 'futuris' factum est, ut IV 20 pro 'siluis' in V legitur 'silua'.

702 *famuli* scripsi: *animi V.*

724 *casusque pares* scripsi: *casusque parens V.*

744 *factis* scripsi: *fatis V.*

749 *quin rapis hanc animam et famulos citus effugis artus.* carent haec sensu idoneo. nam quod Pius uocem 'famulos' explicat 'seruientes corporeis perturbationibus', eiusmodi sententia quam maxime ab hoc quidem loco aliena est neque antiquae cogitandi rationi conuenit, ut rectissime monuit Eyssenhardtus [l. l. p. 383]. Burmannus autem qui 'famulos artus' dicit esse 'qui Peliae famulabuntur', oblitus est, ut alia mittam, Aesona non famulaturum, sed interficiendum fuisse. sed ut mendum, quod uersus ille procul dubio contraxit, remouerent, parum probabilia protulerunt docti. restitui 'famulos citus effugis ictus', id est, famulorum ictus, ut simillime habes II 268 'hederis famularibus', Ouid. am. II 7, 21 'Venus famula'; Lucan. IV 207 'dextrae famulae'. — hic quoque mendum prouenit ex litterarum 'i' et 'a' confusione; simillime u. 619 ex 'ictus' in V 'actus', deinde in P 'arctus' factum est.

753 *furor* scripsi: *fragor V,* quod praue et sine exemplo pro 'fama' positum autumant.

755 'uestemque penusque sacerdos' Maduigijs.

757 *quasi* scripsi: *quam V.* 'ceu' Burmannus. saepissime 'quam' et 'quasi' in codd. confusa. — *cunctatur Thilo: cunctatus V.*

758 *rictumque gemens Columbus: rictuque genas V,* quod male defendit Thilo proleg. p. XIX.

768 *quae fata* Pius: *quo fata V* ex priore 'quo fine'.

De uersibus 779—784 saepe mihi cogitanti semper tutissimum est uisum redire ad Thilonis sententiam ab ipso postea nimia quadam timiditate spretam qua uu. 779 sq. Valerio abiudicauit, 781—784 traiecit post

u. 816. uidentur autem illi additi ab homine quodam qui unde taurus ille tam subito apparuerit paucis uoluit explicatum. interpolatorem utique produunt illa 'gentis de more nefandae' praue a nonnullis defensa.

789 *consiliis* Phil. Wagnerus I p. 630: *conciliis* V.

797 *meriti* Heinsius: *meritis* V.

808 *incognita* Aldina: *incondita* V.

810 *non Marte nec annis* scripsi: *non Marte nec armis* V nimia tautologia.

811 *praedo* scripsi: *precor* V sine sensu. admodum praedonis uocabulo delectatus est Valerius.

812 *quin—quin* C: *quae—quae* V. — *cura* Phil. Wagnerus I p. 631: *cara* V.

815 *iunctae* scripsi: *cunctae* V.

782 *Auerno* scripsi: *retro* V. 'rite' Hirschwaelderus.

822 *peste* Maduigijs: *ueste* V.

833 *hic geminae aeternum portae.* suo iure Phil. Wagnerus [II p. 406] 'aeternum' illud a Valerio scriptum negauit. non recte autem 'alternant' reposuit, cum talis uerbi 'alternare' usus nullis possit stabiliri exemplis. neque melius se habet quod excogitauit Ludouicus Ieepius [ind. philol. V p. 150] 'infernum'; quod cum 'inferna' uocis genetiuum uult esse, neglexit poetarum latinorum sermonem; cf. L. Muellerus [d. r. m. p. 378, 384]. itaque, dum melius praesto erit inuentum, retineo quod olim proposui 'geminae numero portae'; sic certe Ausonius [p. 60 ed. Bip.] 'et geminas numero portas' loci nostri fortasse non immemor, quamquam etiam Vergilius [VII 607] 'sunt geminae belli portae' similiter dixit.

848 sq. *tum porta quanta sinistra poena docet maneat Pelian, quo limine monstrat.* uerba 'quo limine' post illud 'porta sinistra' plane intolerabilia sunt. secutus est autem Valerius hoc loco Vergilii descriptionem similem [Aen. VI 548 sqq.], ex quo [565] etiam illud 'poena docet' repetitum est. itaque reposui 'quod limine monstrum'; intellegitur enim Tisiphone, de qua post poenarum descriptionem haec habet Maro [uu. 574 sq.] 'cernis

custodia qualis uestibulo sedeat? facies quae limina seruet?' minus enim placet quod itidem in mentem uenit 'quae (scil. poena) limine (scil. maneat) monstrat'.

851 *et contra* scripsi: *et loca et V* sine sensu.

II 16 'uetus ecce ~~deum~~' eqs. Meynckius [I p. 34 sq.] non male coniecit. sed illud 'deum' Valerius, ni fallor, pariter ad 'metus' et ad 'bello' pertinere uoluit.

19 'quos scopulis saxisque parens' idem ibid.

53 *quanta quotiens et Palladis arte.* errant qui illud pro 'quanta et quotiens' positum putant. nusquam enim 'et' traicitur, si singula uocabula iunguntur, sed tantum in integris enuntiatis copulandis. puto poetam dedisse 'en Palladis'. nam de coniunctis 'quanta quotiens' cf. Peerlkampius [Hor. III 19, 7].

61 *mens stat* Heinsius: *monstrant V.*

62 *talis* scripsi: *tantus V.*

70 'et amico robora Baccho' Meynckius [I p. 37].

72 *iamque sub Eoae dubios Atlantidis ignes albet ager.* non potest 'sub ignes', id est paulo ante solem orientem albere ager, sed ipsa Aurora iam exorta eum facit albertem. neque quo iure Aurora 'Atlantis' uocetur scio. V 'altantidis' exhibet. scribe 'sub Eoae dubio Pallantidis igne'; cf. Ouidius [met. XV 700]. — et 'Pallantidis' restituendum esse Maduigijs quoque agnouit.

79 *dilecta fauores* scripsi: *defleta labores V* inepte; neque enim unica uirorum Lemniacorum caedes a poeta uocari potest 'uarii labores', ut mittam eam rem tangi uerbis quae sequuntur 'nec te furiis et crimine matrum'. — 'dilecta' iam Thilo inuenerat; cf. Hor. od. I 30, 2.

94 *rursus* scripsi: *rudici V reduci M P.*

102 sq. *neque enim alma uideri iam tum ea cum reti crinem subnectitur auro.* foede haec uerba corrupta. nam et ex uerbis 'iam tum' alterutra abundat et illud 'cum reti' intellectum habet nullum. itaque cum uox 'alma' indigere addito quodam mihi uideretur, pro 'iam tum' rescripsi 'uultum'; deinde adsumpto quod apographa

nonnulla pro 'reti' exhibent 'tereti' restitui 'nec tereti'. summopere autem gauisus sum cum has emendationes olim factas confirmatas uiderem loco Statiano [Theb. V 62] aperte non sine recordatione Valerii scripto, ubi Venus in Lemnon descendens 'nec uultu nec crine prior' audit.

107 *quo* Burmannus: *qui* V.

111 *his* (scil. nuribus) scripsi: *et* V. 'en barbara uestis et torques, insigne ducis' Meynckius [I p. 37]. — quod Valerius torques uocat 'insigne loci', mihi semper adhiberi posse est uisum ad emendandum Horatium [od. III 6. 12]: 'et adiecisse praedam torquibus indigenis renidet'. nam id quidem egregie sensit Peerlkampius per languidam esse traditam lectionem 'torquibus exiguis'.

121 *augentem* scripsi: *audentem* V. 'auditam' Thilo coniecit.

133 *rabidas* Bononiensis; *rapidas* V.

136 *ad* Carrion: *ac* V.

146 *stimulatur* scripsi: *famulatur* V.

151 *aliis* Heinsius: *tales* V; cf. Meynckius I p. 32.

160 *derepta* Vossius: *directa* V.

181 *aufugiens* scripsi: *aut fugiens* V.

191 *funestaque* Schenkelius: *festinaque* V. 'infestaque' Marklandus, Schraderus, alii.

201 *pulsus* Peerlkampius: *primus* V.

202 *pauet* Hauptius [Herm. VIII p. 180]: *palus* V.

207 malim 'ut prima boatu'.

213 *adrectaque coma* scripsi: *adrectasque comas* V. 'adrectisque comis' Peerlkampius.

215 *et cunctantibus inuenit enses*. uox 'inuenit' cum aperte nihili sit, Heinsius 'ingerit' reposuit. sed nimis hoc ambiguum est; cf. VI 230. itaque reposueram 'inserit ensem' propter apertam Statii imitationem, apud quem [Theb. V 230] in eadem historia Venus 'adstitit impellitque minis atque inserit ensem', cum ex Harlesii adnotatione discerem ita iam Herelium [epist. crit. p. 69] coniecisse.

219 *cartas* scripsi: *noctes* V. 'uoces' Marklandus.

220 *artus* Meynckius II 363: *aditus* V.

221 sqq. *pars ut erant dapibus uinoque soporos, pars conferre manus etiam magnisque paratae cum facibus, quosdam insomnes et cuncta tuentes.* non extat in toto Valerii carmine locus foedius corruptus. nam prorsus inepte hic feminae faces gessisse narrantur, quippe quibus enses a Venere datos esse e u. 215 sciamus. praeterea cur faces illae audiunt 'magnae'? quid uocula 'etiam' sibi uult? sed ut haec quamquam intoleranda patienter feramus, plane abundat illud 'quosdam', id quod uel Thilo agnouit [praef. p. XXXIV]. nihil autem ad remouendas has difficultates proficiemus litterulas mutando. nam si Heinsium et Phil. Wagnerum [II p. 395] secuti scripserimus 'paratos', prauissime ei qui manus conferre sunt parati distinguuntur ab insomnibus cunctaque uidentibus, cum potius insomnes arma sumpsisse dicendi sint. itaque sic quoque 'quosdam' uox non haberet explicationem. equidem agnouisse mihi sum uisus interpolatoris cuiusdam manum, qui, cum haec antiquitus tradita inuenisset 'pars ut erant dapibus uinoque soporos pars insomnes et cuncta tuentes', locum aperte lacunosum proprio Marte suppleuerit. iam si uerba illa accuratius intuemur, facile quale fere remedium locus ille desideret intellegimus. nam in illis 'pars ut erant dap. uir. soporos' uerba 'ut erant' plane praeter necessitatem addita sunt. quae tum demum habent locum, si restitues 'sopori' sequeturque uocabulum quo uirorum Lemniacorum status accuratius describitur. hinc traditum illud 'soporos' in duo uerba dirimendum est. si leges 'pars, ut erant dapibus uinoque sopori, ignaros, pars insomnes et cuncta tuentes', genuinam, ni uehementer fallor, Valerii manum restitueris. qui hic quoque Maronem [IX 345] secutus est: 'Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque ignaros, Rhoetum uigilantem et cuncta uidentem'.

223 *anhelo* Heinsius: *anhela* V. an 'aperta'?

226 *adstantque domos* scripsi: *adduntque domos* V.

— post haec uerba aperte intercidit uersus. nam cum pars uirorum effugere uoluisse dicatur, quid alteri parti factum sit scire cupimus. hinc suppleui 'pars inde uirorum consumpta in somno flammis'. nam librarius a priore 'pars' ad alterum aberrauit oculis.

243 *orsa* Heinsius: *ora* V. — *furentis* scripsi: *ruentis* V.

250 *laeti* scripsi: *laesi* V. 'sæui' Meynckius I p. 38.

259 *tholus* Fr. Jacobsius [addit. animaduers. in Athenaei Deipnosoph. p. 42]: *chorus* V, quod nuper inepte defendit Schenkelius [stud. p. 97].

270 *elatus* Heinsius: *uelatus* V.

271 *in niuea* scripsi: *niuea* V.

280 *occulerat* ex V restitui; cf. Phil. Wagnerus II p. 390.

post u. 283 unius uersus lacunam indicaui. uiri docti cum u. 284 traditum 'et' in 'at' uel 'sed' uel 'est' mutarent, non amouerunt nimiam qua locus laborat breuitatem.

294 *heu serum* ex V restitui.

317 *te anxia* ego, Ceto Heinsius: *maxima laetae* V.

318 *Phariis fert* Heinsius: *pharii se* V.

319 *uexisse suam iunctis* scripsi: *rexissuiasiniunctis* V; 'rexisse uias iunctis' edd. inepte. nam quod Ceto et Proteus olim ad insulam Lemnon iter rexerunt, quid inde de Polyxus origine coniectari potuit?

320 *haec imis* scripsi: *saepimis* V (praecedit 's').

322 *dextera* addidi: om. V.

323 *melior* Heinsius: *leuior* V.

337 *ob sacrum* scripsi: *hoc factum* V. ceterum num latine possit dici 'tacet fulmen' pro eo quod est 'tacet sonitus ex fulminibus cudendis oriens', de hac re admodum dubito. puto Valerium dedisse 'taceat iam numen in antro'.

338 *tum* scripsi: *cum* V.

352 *quo fata* Heinsius: *quae fata* V.

359 *unoque dei Pangaea sub ictu Gargaraque et*

maesti steterunt formidine luci. prauissime additur 'et maesti luci', cum quae in Pangaeis et Gargaris erant nemora formidine stetisse Valerius fingat. V exhibet 'maestis et erant', unde litterarum 'st' et 's' transpositione facta 'maesi steterant' euadit. et pro 'steterant' quidem recte Pius rescripsit 'steterunt'; pro 'maesi' autem nos dedimus 'Moesi'.

369 *dum metus* scripsi: *qui metus* V. 'quem metus' inepte edd., cum non de uno Thespiade, sed de omnibus Minyis agatur.

387 *pergula alit* scripsi: *terra inuat* V. — *breuis in flexus piger angitur orbis* Withofius: *breuis in laeuos piger angitur orbis* codd.

394 *est* scripsi: *et* codd. 'it' edd.

412 *uiridis c. h. late* Meynckius I. p. 48 sq.: *uiridis c. h. tela* V.

413 *mediis refugit pater anxius umbris.* Thoantis in silua latibulum iam satis superque uerbis antecedentibus 'uiridis circum horrida late silua tremit' indicatum est neque hic, ubi fastigia rerum enarrantur, iterum habet locum. deinde, si hoc uoluit, Valerius aut 'in medias refugit pater umbras' aut 'mediis latitat pater umbris' scribere debuit. denique desideramus Thoantis super mare fugae commemorationem. hinc pro 'umbris' rescripsi 'undis'; qua emendatione recepta et illud 'anxius' melius intellegitur (cf. u. 300 'ille procul trunca fugit anxius alno') et aptus ad Idae commemorationem fit transitus.

414 *pars et frondosae raptus expresserat Idae inlustremque fugam pueri.* hic primum uocula 'pars', quantum equidem uideo, explicationem habet nullam. reposui 'contra'; qua uoce in similibus descriptionibus usi Vergilius [Aen. VI 23] et ipse Valerius [I 137]. deinde uocis 'raptus' corruptelam euicit Eyssenhardtus [l. l. p. 385]. sed propius ad litteras traditas quam Eyssenhardtianum 'saltus' accedit id quod mihi in mentem uenit 'tractus'.

439 *uati Samothraca* Schraderus: *uates amothraca* V.

440 *uale* Schraderus: *mane* V.

448 *locat trito* Heinsius: *leuat tracto* V.

450 *obtendit* Maduigijs: *ostendit* V.

452 *attigit* edd.: *accidit* V.

453 *flebilis ut scopulis* scripsi: *flebili succedens* V.

454 *dubiumque* scripsi: *uacuumque* V inepte.

464 *umentia* scripsi: *surgentia* V. quoties mare uel leniter mouebatur, uirgo, utpote beluam appropinquare rata, lacrimas fudit.

465 sqq. *exanimum ueluti multa tamen arte coactum maeret ebur Pariusue notas et nomina sumit cum lapis.* mirum est neminem interpretum haec ex Vergilii [Aen. I 592 sq.] imitatione scripta esse animaduertisse. sed eo locus Vergilianus a Valeriano differt quod illic id quod fit, hic quod iam factum est designatur. nam Hercules uirginem in rupe pendentem tamquam operam aliquam artificis manu factam miratur. sed in hac comparatione claudicat primum uox 'tamen'. nam talis oppositio 'quamuis multa arte tamen coactum est ebur' prorsus absona est. lege 'tandem', quo uocabulo artificis labor adsiduus egregie exprimitur. deinde pro 'sumit' necessario scribendum est 'sumsit', propterea quod de re iam facta agitur.

469 *sors* Heinsius: *mors* V.

472 pro 'frequentes' malim 'recentes'; cf. V 455.

477 *tum* Phil. Wagnerus I p. 634: *cum* V.

479 *molibus* scripsi: *monibus* V.

493 *uasti* Heinsius: *capti* V.

519 *unda* scripsi: *umbra* V. — *inde* scripsi: *idem* V.

520 *uadis* Beckius: *rates* V. — *pronae atque* scripsi: *pronaeque* V. — *puppes* Gronouius: *turres* V.

526 malim 'et pallescens urere uirgo'; cf. qui Valerio obuersatus est Vergilius [XII 666 sqq.]

534 *ualidos* scripsi: *uastos* V.

550 *emersa* Heinsius: *emissa* V.

post u. 565 sine iusta causa lacunam statuit Thilo.

567 *tacitosque* Heinsius: *tacitusque* V.

569 *immolet ereptaque luat responsa pharetra.* per latinitatem 'luere responsa' nil significat nisi 'poenas dare pro responsis', quod hic absurdum est. ueri uestigium seruauit V 'eraptaque' exhibens. lege 'et rapta ludat responsa'.

571 *auertere* Gronouius: *uertere* V.

576 *malim* 'tunc ultro plura'.

580 sq. *et ueteris tumulos praelabatur Ili Dardani-umque patrem.* nullo modo uocabulum quale est 'ratis' cogitatione adsumi potest; id quod bene sensit Peerkampius [ad Verg. Aen. I 257]. postquam autem genuinum 'tumulus' sollemni illa litterarum 'u' et 'o' confusione in 'tumulos' abiit, sequebatur ut nominatiuum 'Dardaniusque pater' in accusatiuum mutarent. simillime alicubi corruptus est Fronto, ut docui in Fleckeiseni annal. a. 1872 p. 634.

593 *domu* scripsi: *domus* V. 'domo' Heinsius uoluit; sed datiui 'domo' non inueni apud poetas latinos exemplum; nam etiam apud Horatium [epist. I 10, 13] restituendum 'domu'.

620 *Taurus* Withofius: *Ianus* V.

626 *gestamina* scripsi: *uelamina* V. — dicuntur statuæ templo impositæ lateque conspicuæ.

641 *abdita* scripsi: *ardua* V.

642 *nec loca* Burmannus: *longaque* V. — pro 'iam' non male Heinsius 'tam' scripsit.

659 *aura* scripsi: *ira* V.

III 9 *oneratque superbis* Aldina: om. V.

11 *dederat picto et Thilo*: *dabat et picto* V.

13 *phaleras* Heinsius: *pateras* V.

25 *tunc* Aldina: *nunc* V.

33 *prima* scripsi: *prona* V. sed 'prona sidera' sunt cadentia; parum autem credibile est sub nouam lucem Argonautarum reditum pugnamque locum habuisse.

31 *Procnesson* ex V restitui; cf. Fleckeisenus in *annal.* suis a. 1872 p. 576.

35 *et te iam* M a. m. sec: *ecce iam* V.

39 *at qui* Phil. Wagnerus I p. 635: *atque* V.

49 *latet* scripsi: *patet* V.

65 *aegide* Heinsius: *aethere* V.

55 *tacitis* Heinsius: *tantis* V.

56 *illa* (scil. uox) scripsi: *ille* V.

63 *hinc ciet aere* scripsi: *indiciere* V. expressus est Maro [VI 165] 'aere ciere uiros'.

76 'uox peruigil armis' Maduigijs sublato lacunae signo.

85 *sanguineū* scripsi: *sanguinae* V; cf. Aen. XII 322.

121 quamquam retinui Bentlei coniecturam a Thilone receptam, tamen mihi pro certo est, latere aliud quid sub litteris traditis 'in quo omen masere ministri'. et partem quidem ueri repperisse mihi uideor 'inque omen'; cf. Vergilius [XII 854]; 'masere' emendent feliciores.

125 *urbe* V: *arce* C.

133 *tentoque* scripsi: *totusque* V.

134 *aduersa—flamma* V, corr. Heinsius.

136 *comantem* scripsi: *comanti* V inepte. credas siluestrem aliquem hominem uidere. fax corpore superlappo comas spargit.

141 *dissecuit* Sabellicus: *disiecit* V.

143 *cadauere* scripsi: *cadauera* V. sed opima cadauera nulla sunt. et, nisi antiquitus 'cadauere' scriptum sumis, numquam quomodo 'Nestor' in 'nostro' sit deprauatum intelleges.

150 *natantia* Heinsius: *labantia* codd.

162 *disicit* restitui ex eo quod M (nam V uu. 146—185 omittit) praebet 'disicet'. non enim recte de hoc loco nuperrime egit O. Ribbeckius [comic. lat. fr. praef. p. XIV]. nam unum aliquam dissicere, id est in binas partes diuidere, recte dicitur; agmina dissipantur in omnes regiones.

169 *en duc* scripsi: *et nunc* codd. cf. ex. gr. Nazarii paneg. [p. 233, 3 ed. meae] 'donum noctis duceres quod' eqs.

170 *memorable* Bulaeus: *mirabile* codd.

175 *fidem* Heinsius: *diem* codd.

181 *deseris heu* Heinsius: *desere nunc* codd.

223 *ausus* (uel 'actus') scripsi: *auditus* V.

227 *remersit* scripsi: *remensa* V. 'remersat' Maduigi-
us. at praesens tempus nullum hic locum habet.

228 malim 'Eumenidum chorus'.

230 *uirtusque* Heinsius: *uirtute* V.

233 *placet atque* Peerlkampius: *placeatque* V.

278 *prensant* cod. Burmanni: *prensat* V.

284 sq. *et cuspidis ictus Aesoniae*. ita V tradit. sed enim cuspis Aesonia non potest alia esse quam ab Aesone directa. accedit ad augendam suspicionem quod Valerio hic quoque obuersatus est Maro, apud quem [VII 756] 'Dardaniae medicari cuspidis ictus' et [XI 40 sq.] 'uulnus cuspidis Ausoniae' legitur. itaque cum sat mihi constet librarium archetypi aliquando 'Haemonius' et 'Aesonius' permutasse (cuius rei exemplum extra dubitationem positum praebet VII 17), rescripsi 'cuspidis ictus Haemoniae'.

222 *iubar. heu* Thilo: *iuuarint* V.

295 *talisne* Heinsius: *talisue* V.

298 *a! malus* addidi: om. V.

328 'quin te thalamis' Schenkelius coniecit. sed facillime, ni fallor, ex u. 327 suppletur illud 'te'.

335 *pecudesque* Loehbachius [II p. 8]: *pecudumque* V ex praecedente 'canumque'.

336 *funerae: fert* (uel 'dat') scripsi: *funeraeque* V.

346 *parenti* Maduigi-
us: *parentis* V.

355 *repellat* scripsi: *refellat* V.

389 *suis* Peerlkampius: *suos* V.

392 malim 'fors scaeua'.

411 *accenderit* Burmannus: *ascenderit* V.

412 *adhibe* M a m. sec.: *adhibere* V. illud omnino

necessarium est uel ob apertam imitationem Vergilii [VIII 56] 'hos castris adhibe socios'.

416 malim 'placitis'.

420 *auersis* scripsi: *aduersis* V.

430 malim 'ast Argoa manus'.

440 *tergora* scripsi: *pectora* V. — *partim* Aldina: *partem* V.

444 *numerum* Withofius: *nemorumque* V.

467 *maria* scripsi: *nemora* V.

469 *tentat* scripsi: *tend* V ita ut quae sequuntur litterae nunc legi nequeant.

473 *fragor* scripsi: *labor* V inepte.

474 *retro* scripsi: *remo* V.

481 *ardentior* scripsi: *andentior* V, in quo saepe 'n' et 'r' litterae confusae. de producta uoculae 'Phoebus' ultima cf. II 225 'metūs adeo', III 234 'sanguīs exuberet', VI 152 'sæuūs honor', VI 305 'genitōr inquit', VI 572 'breuibūs ereptus'.

483 *euro* Maserius: *uiro* V.

500 *aethere* Francius: *aequore* V.

503 *moras* Burmannus: *nefas* V.

506 *astusque* edd.: *aestusque* V.

517 *debuerim* scripsi: *debueram* V.

524 *stricta et corytus* Reinesius: *et stricta myrtus* V.

527 *pulsa* M: *plausa* V.

537 *carus* scripsi: *clarus* V inepte. — *montesque* scripsi: *fontesque* V.

558 *quasi* scripsi: *sic* V. 'ceu' Heinsius. syllaba 'qua' intercidit post 'uaga', dein ex 'si' factum 'sic'.

560 *nil umbra comaeque turbauitque somus* eqs. Hylae somnum (nam u. 557 'procumbere pro 'obdormiscere' positum est, ut etiam IV 20 et Verg. VIII 30) quonam modo turbauit siluarum umbra? reposui 'nil unda'. iam enim recte primum aquae labentis, deinde frondis siluestris sibilus commemoratur.

591 *discurrit* scripsi: *decurrit* V.

593 *uiri* Peerlkampius: *uiris* V.

595 *totas* scripsi: *notas* V.

599 'moraest' malim, cum 'moraes' sit in V.

613 *orsis* scripsi: *ausus* V inepte. quid enim periculi subiit Tiphys socios uerbis increpans? 'orsa' pro eo quod est 'uerba' poni uel pueris notum est.

622 *haec tum* scripsi: *nedum* V.

628 *dixerat at* Burmannus: *dixerat et* V. de formularum 'dixit et', 'dixit at' similibusque discrimine alias copiosius agam. — *erecta* scripsi: *freta* V absurde. non obstat autem emendationi nostrae quod quarto abhinc uersu iterum 'erigit' legitur. hanc enim certam apud poetas latinos regulam inueniri, ut tertio quoque uersu idem uocabulum tuto liceat repetere, alibi significauit. — ceterum id quod est 'studiis' non recte de factionibus intellexere.

638 *iā iurgia* scripsi: *iurgia* V. illam uoculae 'iam' iterationem ualde adamat poeta noster.

642 *ferat* scripsi: *gemens* V ex glossa (quae genuinam lectionem expulit), cum librarius illud 'sed socio quocumque' nimia breuitate dictum putaret.

646 *potioribus ille deteriora fouens*. rectissimo iudicio hanc librorum scripturam in suspicionem uocauit Eyssenhardtus. nam Thilo cum 'potioribus' pro ablatiuo quem grammatici uocant comparationis sumeret, oblitus est nullo modo tum carere nos posse addito illo 'quam'; quod habes eo quem ille contulit loco [VII 428]; cf. et Reisigii praelect. § 227 ibique Haasius. itaque eram cum, ut quocumque modo traditam lectionem defenderem, 'potioribus' dandi casu, quem uocant incommodi (= contra potiores), positum putarem. quod quam parum feliciter excogitarim, mox perspexi. nam fouendi uerbum, ut eius fert natura, non potest iungi cum datiuo nisi ita ut aliquid in alicuius gratiam foueri significetur. itaque, cum Eyssenhardti inuentum 'potior quibus' male se habeat, sine cunctatione reposui 'pro moribus'.

664 *pax* Heinsius: *fax* V.

670 *et ego et quocumque uoces qua tegmina ferro*

plura metam. corruptissimis his uerbis primum ita medendum est ut auctore Maduigio reponatur id quod et mihi olim in mentem uenerat 'en ego eo'. deinde pro 'uoces' non uideo quid aptius sit quam 'uoles'. porro ex 'tegmina' recte Heinsius elicuit 'agmina'. uocem autem 'qua' frustra adhuc temptarunt docti; ea enim duplicata legendum est 'quaqua'. denique illud 'plura' traxit corruptelam, cum nimiae sit arrogantiae plura quam Herculem agmina se straturum esse gloriari. litterarum transpositione facta scripsi 'quaqua agmina ferro rupta metam'; sic autem Maro [XII 683] rapido cursu media agmina rumpit'.

681 *solū* scripsi: *soli* V.

700 *prementibus* scripsi: *petentibus* V; cf. V 73.

703 *iuxta* scripsi: *uulvi* V.

732 *iacet* V: *tacet* Burmannus. — *fluctibus* Vossius: *flatibus* V.

734 *parenti* ex V reuocauit; cf. Dracontii Hylas in fine.

736 *solisque negat decedere siluis.* non uideo cur Hercules ex siluis desolatis decedere noluerit. lege 'solumque', id est, sine Hyla.

737 sq. *non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae terga dedit. sed et inde uiis* eqs. haec uerba deprauata non recte adgressi sunt uiri docti. ante omnia enim remouenda est uox 'dedit', quae neque ob sequentia tempora praesentia locum habet neque uero a sententia. quid enim? num, postquam gemitus dedit, in uiis sedet lea? putes eam, dum sedet, querelas edere. quamquam nec hoc rectum esset. nam circumcursare omniaque perquirere loca solent matres fetibus orbatae. itaque cum lea cum Hercule post Hylan frustra quaesitum tandem redeunte comparetur, scribendum est 'redit'; quam notionem aptissime sequitur illud 'sedet inde uiis'. deinde pro 'terga' cum Heinsio reposui 'aegra'; cf. IV 46. et facillime ex 'adempte egra' oriri potuit lectio tradita.

IV 19 *premens* scripsi: *ferens* V.

24 *frondibus in croceis et iniquae munere nymphae*. quid 'et' hic sibi uelit mente non assequor, cum illud 'munere' per appositionem ad 'frond. in croceis' accedere debeat. dedi 'inimicae munere'. nam cum 'inimicae' in 'iniquae' deprauatum esset, necessario 'et' inserebant. cf. II 224 'inimica diua'.

26 *haec sedes* scripsi: *haec fatis* V. 'heu fatis' Doruillius.

28 sq. *et iam mihi lumina caeli conciliat iungitque toros et fontis honores*. illud 'lumina' siue 'limina caeli' plane idem ualet atque id quod praecedit 'in arces Iouis accessus'. lege 'numina caeli'; nam expressus est Vergilius [Aen. I 78] 'tu sceptrā Iouemque concilias'. — deinde 'frontis honores' reposui; quamquam cum 'toros' uox in V desit, non male Meynckius [I p. 40] coniecit 'iungit socios et fontis honores', coll. Ouid. met. XIII 949.

48 *uicta* Heinsius: *icta* V.

65 *fontes* Nodellius (cf. u. 71): *montes* V.

98 *at* scripsi: *et* V.

121 *perdere* scripsi: *pergere* V, quod locis plane alienis defendunt.

125 *ultra* edd.: *ultro* V.

130 *spreture* scripsi: *preme dure* V.

138 *patriae* M m. sec.: *patris* V.

140 *is* scripsi: *es* V.

153 *tantum* Burmannus: *tandem* V.

159 malim 'externas fato delatus ad oras'.

161 *nauemque* scripsi: *nomenque* V.

170 *quando* Schraderus: *frando* V.

175 *durent si* scripsi: *dura sic* V.

179 *die* Peerlkampius: *deum* V.

180 *fremibunda* Heinsius: *remibunda* V.

181 *hic* Aldina: *hinc* V.

201 *taciti* ex V restitui.

213 ante 209 posuit Schenkelius. — *en* inserui: om. V; cf. II 336.

- 212 *remeent* Bononiensis: *remeant* V.
 218 *ne ferte preces* ex V restitui.
 224 *Nelidaeque* Heinsius: *Nelidesque* V.
 228 *ad* Meynckius [I 41 sq.]: *aut* V.
 229 *rapitur* Meynckius [ibid.]: *labitur* V; cf. Statius [silu. I 1, 20].
 230 *malim* 'aut sacrae laurus harenae'.
 240 'celeras' Maduigius.
 242 *tune o e* V restitui.
 250 *ec* scripsi: *haec* V. — *tergis* scripsi: *tauris* V ineptissime.
 252 *per* scripsi: *post* V; cf. Fleckeis. ann. 1872 p. 203.
 258 *at* Heinsius: *et* V.
 259 *poenae* J. A. Wagnerus: *pugnae* V.
 268 *protectusque* scripsi: *proiectusque* V absone.
 270 *rabidum* Friesemannus: *rapidum* V.
 273 *nubibus* e V restitui; quamquam *malim* 'mobilis', cum admodum dubitem, num 'nubibus' pro eo quod est 'in uentos' dicere liceat.
 275 *summis m. diducere* scripsi: *summos m. deducere* V.
 283 *robora* scripsi: *corpora* V.
 287 *artificum notata. et manus.* ita V. quam scripturam ex parte sanauit Heinsius scribendo 'Aetna manus'. deinde uero pro 'notat' litteris 't' et 'n' transpositis emendandum est 'tonat'. quo uerbo ut Verg. [Aen. III 571 et VIII 418], ita Valerius alibi [IV 612] in eadem re utitur.
 288 *conicias* 'trepidant'.
 289 *laeuamque* Heinsius: *dextramque* V eodem uitio quod habes VII 169 alibi. nam praue traditam lectionem ex Vergilii Aen. X 810 defendunt; qui locus Valerio III 153 obuersabatur.
 291 *quatit* scripsi: *rapit* V sine sensu.
 297 *rabidusque uirum* scripsi: *avidusque uiri* V.
 298 *tum caestu elatus* scripsi: *tunc caestu uelatus* V.
 303 *at ut* scripsi: *enim* V.

- 307 *uerbere* scripsi: *uulnere* V.
 308 *ceciditque manus* scripsi: *ceciditque malis* V.
 309 *sanguine iāque* scripsi: *sanguinaeque* V.
 333 *oraque* Schraderus: *armaque* V.
 349 *admonitus* Peerlkampius: *admonita* V.
 357 *tum Iuntina*: *cum* V.
 364 *qua fraude* ex V restitui.
 365 *inuentos tenuisset* L. Muellerus [d. r. m. 392]:
inuentus tenuisset V.
 382 *ardentemque* Heinsius: *audentemque* V.
 386 *carmina auena* scripsi: *carmina uena* V.
 387 *respice cantus* e V restitui.
 388 *iam iam* addidi: *om.* V.
 392 *at ego*: *et* V.
 393 *flagrisque* scripsi: *spirisque* V ineptissime.
 405 *placida* scripsi: *pauida* V.
 409 *torquens* Marklandus: *torrens* V.
 411 *caeci* scripsi: *saeui* V.
 417 *Phari* Carrion: *om.* V.
 418 *uincta* scripsi: *cuncta* V.
 434 *duce fertur* Peerlkampius: *defertur* V.
 439 *ac uestri rebar sic tempora cursus.* ita V.
 quod nuperrimi editores non dubitauerunt Valerio tribuere,
 Vergilium [VI 690] eum imitatum esse putantes. equi-
 dem, qui imitationem tam absurdam a poeta nostro
 quam alienissimam esse pro certo habeam, locum Vergi-
 lianum a lectore quodam adnotatum esse et ita corrup-
 telae ansam dedisse censeo. quid Valerius dederit, ex
 ipso discere potes, quippe apud quem legatur [II 139]
 ‘tardi reputant quae tempora belli’. itaque rescripsi:
 ‘ac uestri reputaui tempora cursus’.
 449 *confectis* scripsi: *consuetis* V. ‘completis’ Haup-
 tius [Herm. VIII 180].
 477 *non* scripsi: *quod* V.
 495 *pubes* scripsi: *nubes* V.
 507 *sicut* Schenkelius: *sic ubi* V.
 528 *pubis* Heinsius: *puppis* V.

536 *et longae* scripsi: *alongae* V; cf. *Analecta Catulliana* p. 42.

564 *cum uincula mundi ima labant, tremere ecce solum* eqs. Heinsius, cum bene uideret latere sub his uerbis comparisonem, 'ceu — labent' rescripsit idque recepit Thilo. sed in hac coniectura offensioni utique est quod uerba 'tremere ecce solum, tremere ipsa repente tecta uides' nullo modo absolute possunt poni. quid enim Cyaneis cum tectis? itaque haec quoque uerba ad comparisonem illam pertinere apparet. hinc emendauit 'quasi, uincula mundi cum ima labant, tremere' eqs. postquam enim 'quasi' post 'suas' interlapsum est, 'cum' traiecit is qui metro iam claudicanti uoluerit succurrere. — ceterum similiter de hoc loco statuit Schenkelius [stud: p, 14].

566 *aequora uertunt* scripsi: *aequora certant* V.

572 *fiet* scripsi: *fieret* V. eodem modo VIII 338 'sucedet' in 'succederet' corruptum est.

596 *caeca tegitur c. campus* Marklandus, Burmannus: *saeua sequitur c. campos* V.

601 *huic* scripsi: *hic* V. — *fluento* Heinsius: *memento* V.

624 *sinite o precor* scripsi: *sileo precor* V. cf. Verg. X 15.

645 *deficere* Burmannus: *defigere* V.

646 *lapsi* Graeuius: *rapti* V.

651 *certe* ex V restitui.

652 *caecus erat conieci*: *Peculerat* V.

653 *certo* scripsi: *credo* V.

661 *sicut* Schenkelius: *sic ubi* V.

664 *artus* Friesemannus: *aures* V.

669 *feruet* scripsi: *pendet* V.

674 sq. '*sequor o quicumque deorum*', *Aesonides*, '*uel fallit*' ait. ita V. quae cum aperte sint deprauata, aut '*uel fallor*' aut '*nec fallor*' aut '*nil fallis*' reposuere docti. sed tale additum, nihil se dubitare de ominis illius auctore, non conuenit Iasonem. quid fere postulet sententia,

ut saepissime apud Valerium, docet Maro [IX 21] 'sequor omina tanta quisquis in arma uocas'. itaque ex 'uel' elicui 'ciet'. deinde pro 'fallit' dedi 'altus'. nam adsurrexisse ad talia omina ueteres ex. gr. ex Vergilio [II 699] elucet.

681 *unda* Schenkelius: *umbra* V ex III 215.

702 *ora ubi* scripsi: *oscula* V inepte. 'ora pallentia' habes IV 490 sq.; VII 79.

705 *saeuum* scripsi: *serum* V sine sensu idoneo. 'uerum', quod Burmannus uoluit, mirum quantum languet. uides quam apte 'saeuus Phasis' et 'mites (contra naturam suam) Colchi' sibi opponantur.

709 *haec — manebant* scripsi: *et — manebant* V. cf. III 352.

715 *iunctus* Thilo: *quamuis* V.

716 *tot* scripsi: *et* V. plerique, inter quos nuperrime etiam Maduigijs extitit, cum non intellegerent primum de Ponti latitudine, deinde de aquarum ubertate agi, praue de his uersibus disputauerunt.

718 *num* Slothouwerus: *non* V; ceteris uiri illius docti mutationibus non opus est.

719 *Nonasque* nondum correctum ex V restitui.

730 sq. malim 'primo nec uere profundum s. a. solis cum lux'.

734 *requirit* scripsi: *exquirat* V.

746 *harenis* Weytingkijs ad Hom. Lat. p. 230: *harenis* V.

758 *inliso* Columbus: *inuiso* V.

V 3 *dudum conscius* scripsi: *tum non inscius* V; cf. I 238 sq.

35 *Aesonides* edd.: *Aesonidus* V.

38 *qui* scripsi: *quas* V.

55 malim 'tabentibus'.

56 *extremis* scripsi: *extermis* V.

72 *miseras* addidi: om. V.

84 *referens* scripsi: *repetens* V.

92 sq. malim 'sol magnus ut orbem cum tollit nubemque quatit polus'.

95 *omina* M: *omnia* V.

101 *acrius in remos rediit* scripsi: *altius in uentos recipit* V.

125 *dura* Meynckius [I 43]: *uera* V.

131 *fatur* idem: *fatus* V. quod deinde 'at aegro' reposuit uir doctus, oblitus est formularum 'dixit at' et 'dixit et' discrimen.

132 *cursus* doctus Anglus: *currus* V.

134 *sanguine uexerit amnis* e V restitui.

140 pro 'clausis' malim 'densis'.

143 malim 'ima manus'; nam 'creatrix' et 'prima' nimis tautologa sunt.

182 malim 'aethere laeta corrusco'.

187 *pariter* Meynckius [II 365]: *paūo* V.

196 *prora properanti* scripsi: *durae properantia* V.

207 *reuerendaque natis* scripsi: *uerenda fluentis* V. 'reuerenda' iam Heinsius uoluit.

209 praeplacet Heinsianum 'aurata — urna'; cf. Verg. VII 792.

224 *inde canens: Scythica senior iam Solis in urbe.* cum uariis modis docti permirum illud 'inde canens' remouere studuerint, mihi melius est uisum totum uersum utpote interpolatum uncis includere. nam etiam illud 'Solis in urbe' post 'Soligenae' admodum friget. adiectus est uersus ab eo qui locum nimia quadam breuitate laborare putauerit.

240 *nacta peto* Eyssenhardtus: *pacta petat* V.

246 *praescie* scripsi: *haec tua* V.

252 *uocibus* scripsi: *noctibus* V.

255 *Grainumque procul respexit ad orbem.* cum uox 'respexit' habeat quo offendaris, ex 'rexperit', quod V praebet, primae syllabae traiectione feci 'perrexit'.

269 *qui t. auctor* scripsi: *qui t. ausis* V.

270 *ferentem* C: *serentem* V.

271 *fcrit* J. A. Wagnerus: *petit* V.

273 *magnis regum cum milibus urbi*. ita V. sed ut 'magnis' illud merito Burmanno, qui 'multis' proposuit, offensioni fuit, ita 'regum milia' intolerabile est. itaque rescripsi 'molibus'; sic infra [u. 282] 'magna pariter quos mole petamus'.

287 *magnus* addidi: om. V; cf. Verg. VI 71; VII 412.

308 *alios* Columbus: *altos* V. — *dubiis* scripsi: *duris* V, quo seruato tota comparatio claudicat. ceterum unde illa 'aut sanguinei — gentibus ortus' pendeant non satis perspicitur. itaque fortasse 'dat sanguinei' scribendum.

313 *pridem* nescioquis: *primum* V.

316 fortasse 'nec pelagi nocuere uiae'.

318 *sparget* edd.: *spargit* V.

324 *pauor* Aldina: *pudor* V.

326 *legit* Heinsius: *petit* V.

329 *sorte* Meynckius (I 46): *forte* V.

339 *pueros* V: *puero* Eyssenhardtus. — *tremendum* Wakefieldus: *trementum* V.

363 *sunt* Aldina: *sic* V.

370 *luctiferas* Burmannus: *luciferas* V.

371 *tardo* scripsi: *tanto* V.

372 *roribus* Heinsius: *foribus* V.

382 *sin* scripsi: *si* V.

394 *binos* scripsi: *uiuos* V; 'biuios' Heinsius.

395 *ideo* scripsi: *adeo* V sine sensu.

413 *subduxit* scripsi: *subtextit* V. 'subtraxit' Meynckius II 365. cf. Petronius [bell. ciu. 131] 'et lucem sceleri subduxit'. frustra illud 'subtextit' defendunt coll. Verg. Aen. III 582.

415 *ec* scripsi: *et* V. 'e' Lachmannus. — *imbres* Heinsius: *ignes* V.

436 *nectit* Thilo: *flectit* V.

438 *exoritur notus et toto ratis una profundo cernitur*. non potest hoc quidem loco ineptior esse oppositio illa. nam cum Argo prima fuerit nauis, toto mari illam

unicam cerni ita per se intellegitur ut in hoc addito nemo possit risum tenere. V 'torto' tradit, quod rec-tissimum est: uentus oritur, nautae mare remis uersant (cf. I 36 'tortas consurgit in undas'), nauis currit. ita-que corruptela latet in uoce 'una'. legas 'et torto ratis acta profundo cernitur'. notum enim est ueteres in eiusmodi imaginibus res omnes uiuere ac moueri finxisse.

443 *taeda pernocte* Heinsius: *taedaque in nocte* V.

455 *horror* Meynckius II 369: *error* V.

466 *siderea* Heinsius: *sideris* V.

467 *stipantque* Loehbachius I 11: *rogitantque* V.

470 *promptus* Meynckius I 46: *propius* V.

472 *en* scripsi: *et* V.

483 *nomine* scripsi: *nomine* V.

484 *ille* Gronouius: *illa* V. — *prementia cliuos* scripsi in Fleckeiseni annal. 1872 p. 204: *cremantia diuos* V. cf. Horatius [ep. II 1, 252] 'et flumina dicere et arces montibus impositas'.

485 *iugi* Heinsius: *uigili* V.

492 *in meritisque loces* scripsi: *haec meritique locus* V.

509 *ecce* scripsi: *atque* V.

519 *orantem* ex V restitui; cf. Verg. Aen. IV 220.

520 *premit* Heinsius: *fremit* V.

534 *hau tali* scripsi: *haud ali* V.

544 *quies* scripsi: *dies* V.

550 *incessit* Heinsius: *incussit* V.

565 sq. *qualis ab Oceano nitidum chorus aethera uestit, qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.* in utroque uersu cum plane idem dicatur, alterutrum ab interpolatore quodam additum aut, qui ultimam limam Argonauticis a poeta non additam censent, postea ab eo delendum fuisse statuunt. neutrum probabile; immo lenissima mutatione pro 'nitidum' reponendum est 'uolucrum'. neque enim opus est ut dein Bulaeo auctore rescribamus 'qualis et adsurgens', cum duas comparationes nulla addita particula copulent aliquando poetae. est autem illud 'ab Oceano uolucrum chorus' ea breui-

tate dictum, quam saepius deprendere licet apud Valerium; cf. III 229 'tardumque a moenibus agmen increpitat' et VII 645 'qualis Getico de puluere Mauors', quibus locis supplendum est 'ueniens' uel simile aliquid.

584—586 post 604 posuit Meynckius I 50 sq.

596 *hunc* scripsi: *hic* V.

597 *multa* Heinsius: *inulla* V.

598 *Phoebi* scripsi: *belli* V; cf. u. 406.

621 *pubi* Heinsius: *puppi* V.

627 *obicem* (uel *obices*) *struis* scripsi: *ius obicis* V sine sensu idoneo.

628 *non Bononiensis*: *num* V.

630 *sic cetera pergat, si ualet.* postquam Phoebus se non de ueteribus Palladis factis queri affirmauit, iam debuit afferre noua eius quae sibi dolori essent facinora. itaque dixit 'sic cetera pergit'.

631 *quid non* scripsi: *quid nunc* V inepte.

641 *curtus* scripsi: *tantus* V.

645 *en ego* scripsi: *ego* V.

650 *rumpere et* scripsi: *rumperet* V. sed enim 'quin—rumperet' non potest pendere a 'tulit', quippe quod suum habeat obiectum 'haec'. itaque 'quin' particulae aduersatiuae uice fungitur, ut saepius apud Valerium.

655 *numina* Ph. Wagnerus: *nomina* V.

656 *quin simili matrem demens grauitate secutus.* queritur Pallas se solam a Marte increpitam esse, cum tamen Iuno utpote in adiuuandis Minyis sibi socia non minus meruerit conuicia. itaque increpandi notio debet inesse corrupto illi 'grauitate secutus', quod frustra et plane ridicule nonnulli defenderunt. scripsi 'matrem, demens, rabie ante petisti'. certum puto 'rabie ante'; cf. falsi Ciceronis in Salustium inuectiua [III 9] 'nam quod ista inusitata rabie in uxorem et filiam meam inuasisti'; incertum est quod posui 'petisti'. uideant acutiores.

662 *perferre* Burmannus: *praeferre* V.

670 *mas* — *si femina* Maduigijs: *fas* — *sic femina* V.

685 *quantumlibet* Burmannus: *quantumlicet* V.

VI 3 *uidere* scripsi: *uideri* V.

15 sq. malim 'mandataque Persei edoceant fati Minyas'; nam totus hic locus adumbratus uidetur ad Vergilii VIII 9 sqq., ubi u. 13 habes 'edocet'.

27 *ecfulsit* scripsi: *et fulsit* V.

31 *gens quaeque* Meynckius [I 47] coll. Lucan. VII 5: *et quaeque* V.

32 *turmas* scripsi: *pugas* V.

35 malim 'equis fera bella uirisque'.

41 *sociasque* scripsi: *solasque* V. imitatur poeta Vergilianum [VII 642 sq.] 'quae quemque secutae complerint campos acies'.

56 *diffuderis* edd.: *diffunderis* V.

75 *praetendens* Slothouwerus: *praetentans* V.

88 *pubem* Burmannus: *nubem* V.

95 *Sidonias* Ph. Wagnerus [I 641]: *sidonicas* V.

110 *loculisque* scripsi: *positusque* V. quod, si est uocabulum latinum, non potest significare nisi idem quod 'tumulus'. canes illi receptaculis eisdem quibus uiri condebantur; de uoce 'loculus' cf. Plinius [hist. nat. VII 2, 20].

123 *aegrae* scripsi: *aliae* V ex IV 126. — *motusque* Heinsius: *notusque* V.

128 *animosi* Loehbachius [I 12], ego: *animis* V.

133 malim 'abducere turmas'.

135 *pos terga* scripsi: *post erga* V.

165 *canor* Heinsius: *clamor* V. an 'chorus'?

168 *ictus* Heinsius: *intus* V.

181 *certa* Pius: *clara* V.

191 *pedem* Meynckius [I 48]: *necem* V.

209 *adstitit* scripsi: *constitit* V.

213 *nunc* Bonon.: *hunc* V.

214 *uel* scripsi: *et hic* V. — *cadat* M: *cadet* V.

230 *profusis* scripsi: *profundis* V.

237 *docilis relegi docilisque relinqui*. haec uerba simul et uersum sequentem qui accurate perpenderit, is non poterit dubitare de uocis 'relinqui' corruptela. inter relegendi autem et iterum in hostes mittendi commemorationem non habet locum nisi id quod u. 254 dicitur 'recollectam rursus locat'. non nimis autem litteris inhaerendum est hoc loco, cum appareat librarium 'relinqui' scripsisse prae memorem loci simillimi [V. 223] 'Soligenae falli meriti meritique relinqui'. quae cum ita se habeant, rescripsi id quod a sententia unice flagitatur 'reponi'.

238 *tardior* Heinsius: *altior* V.

247 *tinguntur* Phil. Wagnerus: *linguntur* V.

249 *sustinet* Heinsius: *sustulit* V.

258 *accepit* bis scripsi: *accedit* bis V.

264 *calamos* scripsi: *ramos* V inepte.

279 malim 'animos clades auget'.

285 *urbis* Maduigijs, ego: *urbem* V.

287 *sic furit* scripsi: *inruit* V, quod hic nondum habet locum; cf. u. 292.

291 *paruique uiam didicere nepotes*. sic ex Carrionis codice scribunt pessime. numquam enim 'uia' simpliciter pro eo quod est 'mos' uel 'institutum' usurpatur. V habet 'eam dedicere' unde litterula 'm' traiecta fit 'eadem'; deinde repetita syllaba 'di' legendum est 'eadem didicere'.

296 *frontis* scripsi: *frondis* V. — *conspectaque* V, corr. Heinsius.

300 ex V restitui 'non usquam uidet'; ad quod sine ullo negotio 'te Cyrne' mente subintelleges. deinde lacunam, qua deformatus est uersus, expleui inserendo ante 'instat' uocem 'acrior'. — *utque* Burmannus: *adque* V. — *instat* Heinsius: *intrat* V.

303 *hinc* Burmannus: *hunc* V.

305 *genitor inquit* ex V restitui; cf. ad III 481.

313 *omnis* Kochius: *omni* V.

330 sqq. *feror arctois nunc liber in aruis cuncta tenens mecum; omnis amor iacturaque plaustris sola nec hac longum uictor potiere rapina; ast epulae quodcumque pecus.* sensit Peerlkampius uocem 'mecum' non posse coniungi cum illo 'tenens'. sed interpunctione mutata, ut ille uoluit, parum proficitur. quid enim? num uerbis 'mecum omnis amor' ullum sensum idoneum inesse censes? itaque scripsi 'mecum omnia ago'; cf. Vergilius [Georg. III 343]. porro quid uerba 'nec hac longum uictor potiere rapina' hoc loco sibi uelint nemo exposuit exponetue. nam neque quonam 'hac rapina' spectet neque quomodo tota sententia in descriptionem uitae, qua Gesander fruebatur, quadret perspicitur. itaque Pium et Loebachium [I 14] secuti uerba illa utpote ab interpolatore quodam prae addita omnino a Valerii textu exulare iussimus.

343 *nuper* scripsi: *propius* V.

347 *astat* scripsi: *hasta* V.

348 *ruentes* Heinsius: *ruentem* V.

351 *funere* scripsi: *corpore* V. quod ex glossemate ortum est. certe intolerabile est illud 'corpore' eisdem duorum uersuum insequentium sedibus positum.

356 *illuuias* Hauptius: *ille dies* V.

357 *pellis* Burmannus: *belli* V, in quo saepe 'b' et 'p' mutarunt locum.

358 *frangere* Aldina: *frangit* V.

362 *madent* Meynckius [II 372]: *meant* V.

380 *hinc* Thilo: *hic* V.

382 *quis iam iam* scripsi: *quin etiam* V. — *nutansque* scripsi: *nutuque carens* V contra metrum pariter atque sententiam. neque quidquam proficiunt qui 'cadens' corrigunt, cuius rei insequenti demum uersu fit mentio.

385 *tandem* M a m. sec.; *tamen* V. — *perculit* scripsi: *protulit* V; non ausim reponere 'proculit'. — *orbem* Maduigi: *urbem* V.

391 *harenas* scripsi: *habenas* V.

404 *isdem aquilisque* scripsi: *quorum aquilis* V. — *parentes* Burmannus: *parentis* V.

- 413 *cernuntur* scripsi: *tenduntur* V.
 414 *ferra* scripsi: *frena* V.
 416 *acibus* ego: *curribus* V e u. praecedenti.
 417 *moti* scripsi: *usquam* V. — *mittere parant*
 addidi in fine: *neque in peste reuinctos* V.
 426 malim 'per iuga'.
 430 'regina' praue suspectarunt nonnulli: cf. Verg.
 Aen. I 411 sq., alia.
 437 *dati* scripsi: *satis* V, quod pro eo quod effla-
 gitatur 'serendis' positum esse uix et ne uix quidem
 credibile est. ceterum nunc doleo quod post uerba 'den-
 tibus hydri' unius uersus lacunam non indicaui. nam
 et enuntiati subiectum, sc. 'Colchorum rex', et pugnae
 contra terrigenas obitae [cf. u. 451] commemoratio
 deest.
 443 *ingens* Bonon.: *ignis* codd.
 444 *recoquit* Gronouius: *recolit* codd.
 452 *nec cui medio* scripsi: *nec medio* M (nam V
 hic deficit) ita ut a m. sec. 'quae' additum sit.
 461 *en iam* scripsi: *etiam* codd.
 473 *adfectusque* scripsi: *adfatusque* codd.
 492 *uarios* scripsi: *uernos* V; cf. Aen. VI 708.
 499 *innisa* M: *iniussa* V.
 505 *fulgure* scripsi: *frigore* V inepte.
 520 *cedunt* scripsi: *redeunt* V.
 522 *altis* Balbus: *atris* V.
 526 *tumefacta* Itali: *tremefacta* V.
 527 *quale in* scripsi: *qualem* V.
 528 *procedere* Schraderus: *producere* V.
 535 *simul agnota* V, corr. Burmannus.
 546 *caedibus* Heinsius: *laudibus* V.
 553 puto 'utrimque'.
 572—574 post u. 562 ponendos puto.
 572 *excipit* scripsi: *exigit* V.
 570 *reddit amato* (*auaro?*) scripsi: *reddita caro* V.
 — uersu insequenti ex V restitui 'breuibus ereptus';
 cf. ad III 481.

582 *eques confunderet arua* scripsi: *equis quod fuderat arma* V.

583 *errantesque* Sabellicus: *orantesque* V.

586 *unus* scripsi: *saeuus* V.

600 'effata aciem campis' Maduigius.

601 *ardentisque* scripsi: *ardentesque* V, in quo saepissime 'es' et 'is' confusae, ut ex. gr. 424, 598, 634.

602 *ac* Heinsius: *ad* V.

607 'uirgo' sine dubio corruptum est. latet nomen ducis alicuius hostilis.

608 *autumi* V, correxi — *locati* scripsi: *uocati* V.

614 recte, ni fallor, illud 'spargitque famem' suspectavit Meynckius [I 49]. sed prae eius coniectura 'spargit saniem' malim 'pascitque famem'.

617 *turmae* scripsi: *pugnae* V. — Meynckius l. l. maluit 'crudescunt sang. pugnae'.

621 *et* scripsi: *ad* V.

626 *maerens* et 627 *fremunt* Peerlkampius: *maeret* — *fremunt* V.

632 *hiberna* — *arcto* scripsi: *hiberno* — *arcu* V inepte.

653 *Haemoniae* scripsi: *Aesoniae* V; cf. notam nostram ad III 284. hoc loco praeterea offensionem est repetitio illa 'Aesoniae' et 'Aesonides'.

657 *dea sūmouet* scripsi: *deus amouet* V. nullus hic Amori locus est, qui recte u. 673 demum commemoratur.

661 *nam* scripsi: *nec* V.

706 *agit* C: *ait* V.

729 *iussistis* ex V restitui.

734 *quo falli et* scripsi: *quo fellet* V.

754 *digreditur* V, corr. Vossius.

756 *ad* addidi: om. V.

VII 8 *causam* Phil. Wagnerus [I. 643]: *paulum* V.

17 *Haemonias* scripsi: *Aesonias* V.

20 *huc* Schenkelius: *hunc* V. — *carus* scripsi: *talis* V.

21 *durumque* scripsi: *tumque* V.

22 *lumine eou* scripsi: *limeneaeo* V.

25 *grataque* ex V restitui. nam 'que' semper fere pro 'ue' ponit Valerius.

29 *appendere* Itali: *accendere* V.

32 *parantem* ex V restitui.

33 *anteuenit* Maduigi: *ante aperit* V. — *mouentis* (sc. ora) scripsi: *morantis* V.

41 *Minyae* Heinsius: *cerno* V, quod interpolatum est postquam 'minue' post 'hominum' intercidit.

50 *penates* Burmannus: *parentes* V.

53 *inmisit* scripsi: *inlisit* V sine exemplo iusto.

55 malim 'decreset Caucasus'; cf. Statius [silu. I 1, 10].

57 *aut*—*statuam* scripsi: *aut*—*statui* V.

76 *dentibus* Heinsius: *seminis* V.

84, 85 *sereno axe* scripsi: *serena arce* V, sed 'arx' numquam omisso addito quodam (uelut 'caelestis') a Valerio aliisque pro 'caelum' ponitur. — *prensus* scripsi: *praeceps* V, quod utcumque repositum est, postquam in 'prensus' uoce ultima syllaba ante 'subito' periit. Valerius imitatur illud Horatianum 'otium diuos rogat in patenti prensus Aegaeo': cf. et Bentleius et Peerlkampius ad Hor. od. I 14, 10.

115 *cernens* scripsi: *quacres* V, unde 'quaerens' edd. at neque in solo cubili neque in sororis gremio quaerere potest Medae Iasonis uultus; immo hi ubique ei obuersabantur.

127 *semet sic icrepat* scripsi: *semels increpat* V, unde quod edd. legunt 'sese semel' ineptum est. de 'sic' uocula sequente 'ait' addita cf. VI 646; VIII 177 alia.

134 *futt* scripsi: *foret* V.

135 *o tantum* scripsi: *et tandem* V.

139 *a redeat* scripsi: *aut redeat* V, quod ex glossa ortum est hac 'a^{ut} redeat'.

150 *incestae* Dom. Marius: *infestae* V.

151 *auens* scripsi: *agens* V.

156 *pudore* Vossius: *pudori* V.

- 159 *sis hunc* Ph. Wagnerus: *tecum* V.
 161 *defecta* Meynckius: *decepta* V.
 164 *tori* scripsi: *praecor* V ex uersu priore. omnino opus est genetiuo quodam ad 'amorem' uocem addito. olim conieceram 'istud quo me frustratur acerbum uince prior'.
 165 *illū atro* scripsi: *illa sacro* V.
 169 *cantibus* scripsi: *soluat et* V ex foeda interpolatione post uocis genuinae interlapsum.
 171 *contra* scripsi: *Venus* V ex glossa. nam aut simpliciter 'Venus' aut 'mater Amorum' scribere debuit Valerius, cum hoc ad illud per appositionem additum mirum quantum frigeat; ceterum cf. Verg. Aen. II 325 et XII 807.
 174 *quin* Heinsius: om. V. 'quin' apud Valerium saepe pro eo quod est 'sed' adhibetur.
 178 *Haemonii* scripsi: *Aësoni* V.
 186 *arripit* scripsi: *aspicit* V.
 198 *nunc et tua* scripsi: *nunc si tua* V.
 200 *quidne* (=quippe quid) ego: *quidne* V.
 201 *nec* scripsi: *hoc* V; cf. Aen. IX 10.
 213 *ista* scripsi: *ipsa* V.
 214 *sic* Carrio: *hic* V. — malim 'carique'.
 226 *ut iam reputentur* Heinsius: *etiam repetentur* V.
 229 *maligna* scripsi: *malignis* V.
 230 *luserit* Heinsius: *cluserit* V. — *messis* Carrio: *mensis* V.
 240 *tuum* scripsi: *unum* V.
 243 *dubiae* Burmannus: *durae* V; cf. Aen. IV 55.
 244 *membra* Thilo: *menti* V.
 245 *reponens* scripsi: *reponem* V.
 247 *istaque* Phil. Wagnerus: *ipsaque* V.
 250 *somnia* Heinsius: *omnia* V.
 259 *aetheriis* scripsi: *asperis* V; 'aeriis' Maduigijs.
 260 *fulgentem* Heinsius: *figientem* V.
 262 *callet* scripsi: *uellet* V. — *natos* scripsi: *nautas* V ineptissime.
 269 *ac* scripsi: *tu* V.

- 276—283 post 291 posuit Thilo.
 277 *uulgata* ex V restitui; cf. Meynckius II 373.
 285 *ac tamen* scripsi: *ut tamen* V.
 295 et 296 transposuit Meynckius I 50.
 295 *artus* Heinsius: *annos* V.
 315 sq. *absenti*—*Peliae* scripsi: *absentem*—*Pelian* V.
 318 *dein negat* Doruillius: *denegat* V. — *obire*
 Maduigijs: *in ira* V.
 330 *sanguineo*—*ore* Heinsius: *sanguinea*—*ira* codd.
 333 *uelocius herba* scripsi: *uelocius ulla* codd.
 334 *pestifera est* scripsi: *pestiferam* codd.
 337 *miserata* scripsi: *mirata* V.
 341 *cui*—*es* Heinsius: *qui*—*est* codd.
 343 *heu*—*quam primam uidit* scripsi: *et*—*quem pri-*
imum uidi codd.
 357 *Caucasei p. nutritum in gramine montis* scripsi:
Caucaseum p. nutritaque gramina ponti codd.
 358 *quem* scripsi: *quae* codd.
 359 *alitique* Bulæus: *editque* codd.
 363 *saluus* scripsi: *sanguis* V.
 369 *toto* M: *totos* V.
 375 *insuetum* scripsi: *supremum* V.
 376 *aethera* scripsi: *aera* V.
 406 *rabidus* Heinsius: *rapidus* V.
 420 *cur* scripsi: *nec* V.
 426 *spem mihi promissam* — *reddat qua lege uides.*
 neque latine dicitur 'spes promissa' neque uero 'spem
 reddere'. scripsi 'spe sine. promissum' eqs. cf. Verg.
 V 386.
 428 *poscimus* scripsi: *possumus* V.
 441 *fax* scripsi: *pars* V.
 445 *haec* scripsi: *haee* V.
 452 *in istis* Thilo: om. V.
 456 *extemploque etenim* scripsi: *extemplo neque enim* V.
 483 *nillos fundunt* scripsi: *nillos stringunt* V.
 486 *te coniunx nataeque manent.* ita V. qua lectione
 non potest ineptior fingi. neque melius se habet quod

nuper repositum est 'natique'. ita enim haec euadit sententia, quasi certe sciuerit Medea esse Iasoni mulierem liberosque. sed primum omnes habet probabilitatis numeros, uirginem de uiri amati caelibatu iamdudum certiore esse factam neque, nisi spe eum captandi ductam, opem ei fuisse laturam. itaque non potuit illa loco nostro dicere nisi fere hoc: tu domi uxorem duces. quibus uerbis prudenter ad ea, de quibus agi uoluit, flexit orationem. itaque rescripsi aperta ueritate: 'te coniunx taedaeque manent'. et similia uerba saepissime coniungi a poetis notissimum; cf. ex. gr. Verg. Aen. IV 18 'thalami taedaeque'.

496 *procurrit* Heinsius: *procumbit* V; cf. II 637. et saepius uoces illae in codd. confusae.

501 *merit si noctis sum* scripsi: *meritis noctis* V.

503 *umquam* scripsi: *tum* V.

506—508 *flamma tuaeque artes; nullus succurrere contra ingrato queat et siquid tu saeuus, istis adicias neque in medio terrore relinquant*. ita fere V. quae cogente sententia transposui et emendauit, quamuis fortasse praestet 'tum siquid saeuus'.

514 *nunc deicit* e V restitui; cf. L. Muellerus d. r. m. 271.

515 *at—compellat* scripsi: *ac—conterret* V.

520 *temptanti* scripsi: *quem tanta* V.

528 *uacuas* scripsi: *uacuo* V.

531 *abiit* scripsi: *trahit* V.

533 *malim* 'tradende perichlis'.

534 *o* scripsi: *ut* V.

536 *calcare uolumina* Meynckius II 374: *calcantem lumina* V.

537 *cui* scripsi: *uix* V.

543 *meat* A. Wagnerus: *quaeat* V.

546 *en uocor* M: *et uocor* V. — *alas* Phil. Wagnerus: *ausa* V.

547 *in flammis* e V restitui.

548 *totos—fluctus* scripsi: *totas—flammas* V ex uersu autecedenti; cf. 572.

550 *Graium* ex V restitui.

551 *istius* scripsi: *ipsius* V. — *pereat* Schenkelius: *pereant* V.

552 *aura* scripsi: *terga* V.

558 *decessit* scripsi: *discessit* V. sed discedimus ab hominibus, decedimus a locis.

560 *stabat ut extremis desertus ab orbibus axis.* ita V, nisi quod 'oribus' praebet. si ad quanta artificia confugiant interpretes ad ineptissima quaeque defendenda uno exemplo cognoscere uis, legas quae de hoc uersu protulerunt. nobis Valerius, si re uera 'axis' (quocumque modo accipis) scripsisset, indignus hercle uideretur, in quo emendando tempus consumamus. itaque primum pro 'desertus ab' scripsi 'deserta sub'; deinde aut 'sub axibus arbos' aut simplicius 'sub orbibus arbos' legendum puto. nihil enim huic loco aptius dici fingiue potest quam Iasonis cum arbore in desertis regionibus extante comparatio. haec lectio ubi semel deprauata est, u. 561 et 562 ex 'quam' librarii fecerunt 'quem'.

562 *sursus* Schraderus: *rursus* V.

572 *atros uolunt* — *fluctus* scripsi: *atro uoluens* — *fluctu* V nimis tautologe cum eis quae praecedunt.

575 *flerat* scripsi: *flebat* V.

587 *ilicet* — *ad squalentia* scripsi: *inicit* — *atque ardentia* V.

604 *ec* scripsi: *ac* V.

619 *secanti* Pius: *sequaci* V.

620 *leuantis* scripsi: *sequentis* V ex u. priore.

621 *ec* scripsi: *a* V.

630 *subiere* scripsi: *uidere* V.

646 *hauritque grauis* scripsi: *uritque grauem* V.

648 *fugit* Heinsius: *furit* V.

649 *ut* scripsi: *hic* V.

652 *quae* Burmannus: *qui* V.

- VIII 10 *mille* Heinsius: *ille* V.
 17 *promit* Turnebus: *prodit* V.
 20 *erecta* edd.: *eiecta* V.
 23 *premit* scripsi: *ferit* V.
 31 *talisque* scripsi: *talemque* V.
 49 malim 'quam (scis) saepe fidem'.
 62 *non iam* scripsi: *contra* V. — *haud uocat* scripsi:
aduocat V.
 67 *tanta* scripsi: *tantos* V. — *ui* Barthius: *ut* V.
 68 *uirgamque* scripsi: *crinemque* V.
 77 *me astante* Heinsius: *meis tandem* V.
 136 *effulsit* Heinsius: *inflexit* V.
 140 *ad hanc* scripsi: *adhuc* V.
 157 malim 'quiduis super accipe'.
 161 *litora remi* Heinsius: *nam singula* V.
 163 *te ioca* scripsi coll. Ouid. a. a. III 367: *tem-*
pora V, quod uarie sanabant docti. sed neque 'pocula'
 Doruillianum (quasi uero potatrix fuerit Medea!) neque
 quod L. Muellerus d. r. m. p. 392 proposuit 'tempea'
 aut a sententia aut a forma placet.
 164 *alieno ad gaudia uultu s. eras* scripsi: *alieno*
gaudia uultu s. erat V.
 168 *tecum* Heinsius: *nunc* V.
 170 *qualemcumque* scripsi: *quascumcumque* V.
 191 *perferat* edd.: *proferat* V.
 194 fortasse 'hac mihi non'.
 200 *flexu* Phil. Wagnerus: *flectunt* V.
 224 *erigere* Heinsius: *erigit* V.
 231 *Iuno iam destinat Hebae* scripsi: *Iunonia susti-*
net Hebe V.
 232 *adfuit* scripsi coll. Horat. od. III 27, 66: *ad-*
sunt V. — *unanimes* V, corr. Meynckius II 375.
 246 *paterae uerguntur* ego: *pariter uertuntur* V.
 254 *ita conformat* Phil. Wagnerus: 'pars ueribus
 figit trepidantia uiscera acernis, pars foliis undam ingenti
 despumat aeno'; et certe locus corruptus est.
 263 *diroque* scripsi: *diramque* V.

- 264 *heia agite* scripsi: *adque hanc* V.
 284 *comitare* scripsi: *coire* V.
 285 *orans iterat remosque* scripsi: *orans iterum uen-*
tosque V.
 286 *supplent regis uerba illa magistri* scripsi: *supplex*
et remigis uexilla magistris V.
 307 *non ulla* scripsi: *non una* V.
 313 *segnis summo ego: summo segnis* V.
 332 *malim 'hos aequore toto'*.
 348 *flammis set olentis* scripsi: *flammise tollentis* V.
 364 *quantum ille uelit* scripsi: *aut ille uelit* V.
 365 *extat Aldina: errat* V.
 370 *heu* Heinsius: *nec* V.
 374 *adspectu ego: abscessit* V.
 378 *tuta* scripsi: *dudum* V.
 403 *cunctaturque moramque* Phil. Wagnerus: *cuncta-*
tur mortemque V. — post h. u. lacunam indicaui.
 412 *iam comites* scripsi: *una omnes* V.
 415 *quin tecum* Heinsius: *uittae cum* V.
 418 *despecta* scripsi: *decepta* V.
 434 *me* scripsi: *et* V. — *poscunt uir doctus nescio-*
quis: possunt V.
 437 *quis te* Heinsius: *quise* V.
 443 *hanc* scripsi: *aut* V.
 post 450 lacunam indicaui.
 452 *tenui* addidi ex Ouidio [met. I 570]: om. V.
 455 *manet* scripsi: *mouet* V.
 post 457 lacunam indicaui.
 458 *gloria magni Pius*: om. V.
 post 462 lacunam indicaui.
 463 *qualem* V exhibet, post 440 posuit Lemairius.
 466 *lenit pectora dictis* scripsi: *tempera dictis* V.
-

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICA.

Corrigenda.

I 145 *post terga dele punctum.* — *ib.* 511 *lege teneant* —
ib. 606 *tantum* — *ib.* 710 *signa* — III 242 *annos!* — IV
574 *post terrae dele punctum* — V 534 *lege hau* — VI 135
pos — *ib.* 361 *raptataque* — *ib.* 686 *primaque* — *ib.* 730 *quid*
— VII 20 *abito'*. — *ib.* 60 *ipse.*

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER PRIMUS.

Prima deum magnis canimus freta peruia natis
fatidicamque ratem, Scythici quae Phasidis oras
ausa sequi mediosque inter iuga concita cursus
rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.

Phoebe, mone, si Cymaeae mihi conscia uatis 5
stat casta cortina domo, si laurea digna
fronte uiret. tuque o, pelagi cui maior aperti
fama, Caledonius postquam tua carbasa uexit
oceanus Phrygios prius indignatus Iulos,
eripe me populis et habenti nubila terrae, 10
sancte pater, ueterumque faue, uenerande, canenti
facta uirum. uersam proles tua pandet Idumen
(namque potest), Solymo ac nigrantem puluere fratrem
spargentemque faces et in omni turre furentem.
ille tibi cultusque deum delubraque centum 15
instituet, cum iam, genitor, lucebis ab omni
parte poli. neque enim Tyriis Cynosura carinis
certior aut Graeis Helice seruanda magistris,
si tu signa dabis; sed te duce Graecia mittet
et Sidon Nilusque rates. nunc nostra serenus 20
orsa iuues, haec ut Latias uox impleat urbes.

Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis,
iam grauis et longus populis metus: illius amnes
Ionium quicumque petunt, ille Othryn et Haemum
adque imum felix uersabat uomere Olympum. 25
sed non ulla quies animo fratrisque pauenti

progeniem diuumque minas; hunc nam fore regi
 exitio uatesque canunt pecudumque per aras
 terrifici monitus iterant: super ipsius ingens
 instat fama uiri uirtusque haut laeta tyranno. 30
 ergo anteire metus iuuenemque extinguere pergit
 Aesonium letique uias ac tempora uersat.
 sed neque bella uidet Graias neque monstra per urbes
 ulla. Cleonaeo iam tempora clusus hiatu
 Alcides, olim Lernaee defensus ab angue 35
 Arcas et ambobus iam cornua fracta iuuenis.
 ira maris uastique placent discrimina ponti.
 tum iuuenem tranquilla tuens nec fronte timendus
 occupat et ficti dat uultus pondera dictis.
 'hanc mihi militiam, ueterum quae pulchrior actis, 40
 adnue daque animum. nostri de sanguine Phrixus
 Cretheos ut patrias audisti effugerit aras.
 hunc ferus Aetes, Scythiam Phasimque rigentem
 qui colit (heu magni Solis pudor!), hospita uina

 nil nostri diuumque memor. non nuntia tantum 46
 fama refert: ipsum iuuenem tam saeua gementem,
 ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
 aspicio, lacera adsiduis tumque illius umbra
 questibus et magni numen maris excitat Helle. 50
 si mihi quae quondam uires, ut pendere poenas
 Colchida iam et regis caput hic adque arma uideres!
 olim annis ille ardor hebet, necdum mea proles
 imperio et belli rebus matura marique.
 tu, cui iam curaeque uigent animique uiriles, 55
 i, decus et pecoris Nephelaei uellera Graio
 redde tholo ac tantis temet dignare periclis.
 talibus hortatur iuuenem, propiorque iubenti
 conticuit certas Scythico concurrere ponto
 Cyaneas tantoque silet possessa dracone 60
 uellera, multifidas regis quem filia linguas
 uibrantem ex adytis cantu dapibusque uocabat
 et dabat externo liuentia mella ueneno.

Mox taciti patuere doli nec uellera curae
 esse uiro, sed sese odiis immania cogi 65
 in freta. qua iussos scrutans tum quaerere Colchos
 arte queat, nunc aerii plantaria uellet
 Perseos aut currus et quos frenasse dracones
 creditur, ignaras Cereris qui uomere terras
 imbuit et flaua quercum damnauit arista. 70
 heu quid agat? populumne leuem ueterique tyranno
 infensum adque olim miserantes Aesona patres
 aduocet? an socia Iunone et Pallade fretus
 armisona speret magis et freta iussa capessat,
 siqua operis tanti domito consurgere ponto 75
 fama queat? tu sola animos mentesque peruris,
 Gloria! te uiridem uidet immunemque senectae
 Phasidis in ripa stantem iuuenesque uocantem.
 tandem animi incertum confusaque pectora firmat
 relligio, tendensque pias ad sidera palmas 80
 'omnipotens regina', inquit, 'quam, turbidus atro
 aethere caeruleum quateret cum Iuppiter imbrem,
 ipse ego praecipiti tumidum per Enipea nimbo
 in campos et tuta tuli nec credere quiui 85
 ante deam, quam te tonitru nutuque reposci
 coniugis et subita raptam formidine uidi,
 da Scythiam Phasimque mihi; tuque, innuba Pallas,
 eripe me. uestris egomet tum uellera templis
 illa dabo; dabit auratis et cornibus ictu
 colla pater niueique greges altaria tingent.' 90
 Accepere deae celerique per aethera lapsu
 diuersas petiere uias. in moenia pernix
 Thespiaca ad carum Tritonia deuolat Argum.
 moliri hunc puppem iubet et demittere ferro 95
 robor, Peliacas et iam comes exit in umbras.
 at Iuno Argolicas pariter Macetumque per urbes
 spargit inexpertos temptare parentibus austros
 Aesoniden, iam stare ratem remisque superbam
 poscere quosque uehat rebusque in sidera tollat.
 Omnis adest quae iam bellis spectataque fama 100

turba ducum, primae seu quos in flore iuuentae
 temptamenta tenent necdum data copia rerum.
 at quibus aruorum studiumque insontis aratri,
 hos stimulant magnaue ratem per lustra uiasque
 uisi laude canunt manifesto in lumine Fauni 105
 siluarumque deae atque elatis cornibus Amnes.

Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
 aduolat, Arcadio cuius flammata ueneno
 tela puer facilesque umeris gaudentibus arcus
 gestat Hylas: uelit ille quidem, sed dextera nondum 110
 par oneri clauaeque capax. quos talibus amens
 insequitur solitosque nouat Saturnia questus:
 'o utinam Graiae rueret non omne iuuentae
 in noua fata decus, nostrique Eurystheos haec nunc
 iussa forent! imbrem et tenebras saeuumque tridentem 115
 iam iam ego et inuiti torsissem coniugis ignem.
 nunc quoque nec socium nostrae columenque carinae
 esse uelim, Herculeis nec me umquam fidere fas sit
 auxiliis, comiti et tantum debere superbo.'

Dixit et Haemonias oculos detorquet ad undas. 120
 feruere cuncta uirum coetu, simul undique cernit
 delatum nemus et docta resonare bipenni
 litora; iam pinus gracili dissoluere lamna
 Thespiaden iungique latus lentoque sequaces
 molliri uidet igne trabes, remisque paratis 125
 Pallada uelifero quaerentem brachia malo.
 constitit ut, longo moles non peruia ponto,
 puppis et ut tenues subiere latentia cerae
 lumina, picturae uarios superaddit honores.
 hic sperata diu Tyrrheni tergoe piscis 130
 Peleos in thalamos uehitur Thetis; aequora delphin
 corripit, ipsa sedet deiecta in lumina palla
 nec Ioue maiorem nasci suspirat Achillen.
 hanc Panope Dotoque soror laetataque fluctu
 prosequitur nitidis pariter Galatea lacertis, 135
 antra petens; Siculo reuocat de litore Cyclops.
 contra ignis uiridique torus de fronde dapesque

uinaque et aequoreos inter cum coniuge diuos
 Aeacides, pulsatque chelyn post pocula Chiron.
 parte alia Pholoe multoque insanus Iaccho 140
 Rhoetus et Atracia subitae de uirgine pugnae.
 crateres mensaeque uolant araeque deorum
 poculaque, insignis ueterum labor. optimus hasta
 hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Aeson.
 fert grauis inuito uictorem Nestora tergo. 145
 Monychus, ardenti peragit Clanis Actora quercu,
 nigro Nessus equo fugit, adclinisque tapetis
 immensus uacua condit caput Hippasus aura.

Haec quamquam miranda nihil stupet Aesone natus
 et secum: 'heu miseros nostrum natosque patresque! 150
 hacine nos animae faciles rate nubila contra
 mittimur; in solum num saeuiet Aesona pontus?
 non iuuenem in casus eademque pericula Acastum
 abripiam? inuisae Pelias freta tuta carinae
 optet et exoret nostris cum matribus undas.' 155

Talia motanti laeuum Iouis armiger aethra
 aduenit et ualidis fixam erigit unguibus agnam.
 at procul e stabulis trepidi clamore sequuntur
 pastores fremitusque canum; citus occupat auras
 raptor et Aegaei super effugit alta profundi. 160
 accipit augurium Aesonides laetusque superbi
 tecta petit Peliae. prior huic tum regia proles
 aduolat amplexus fraternaue pectora iungens.
 ductor ait: 'non degeneres, ut reris, Acaste,
 uenimus ad questus: socium te iungere coeptis 165
 est animus; neque enim Telamon aut Canthus et Idas
 Tyndareusque puer mihi uellere dignior Helles.
 o quantum terrae, quantum cognoscere caeli
 permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!
 nunc forsitan graue reris opus; sed laeta recurret 170
 cum ratis et caram cum iam mihi reddet Iolcon,
 quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores!
 quam referam uisas tua per suspiria gentes!'

Nec passus rex plura uirumst, at 'cuncta parato;

in quaecumque uocas; nec nos', ait, 'optume, segnes 175
 credideris patriisue magis confidere regnis
 quam tibi, si primos duce te uirtutis honores
 carpere, fraternae si des ad crescere fama.
 quin ego, nequa metu nimio me cura parentis
 impediat, fallam ignarum subitusque paratis 180
 tunc adero primas linquet cum puppis harenas.'
 dixerat. ille animos promissaque talia laetus
 accipit et gressus rapidos ad litora uertit.

At ducis imperiis Minyae monituque frequentes
 puppem umeris subeunt et tento poplite proni 185
 decurrunt intransque fretum. non clamor anhelis
 nauticus aut blandus testudine defuit Orpheus.
 tum laeti statuunt aras. tibi, rector aquarum,
 summus honor, tibi caeruleis in litore uittis
 et Zephyris Glaucoque bouem Thetidique iuuenam 190
 deicit Ancaeus. non illo certior alter
 pingua letifera perfringere colla bipenni.
 ipse ter aequoreo libans carchesia patri
 sic ait Aesonides: 'o qui spumantia nutu
 regna quatis terrasque salo complecteris omnes, 195
 da ueniam. scio me cunctis e gentibus unum
 inlicitas temptare uias hiememque mereri:
 sed non sponte feror, nec nunc mihi iungere montes
 mens auet aut summo deposcere fulmen Olympo.
 nec Peliae me uota trahunt: ille aspera iussa 200
 repperit et Colchos in me luctumque meorum.
 illi inhians tantum non indignantibus undis
 hoc caput accipias et pressam regibus alnum.'
 sic fatus pingui cumulat libamine flammam.

Protulit ut crinem densis luctatus in extis 205
 ignis et escendit salientia uiscera tauri,
 ecce sacer totusque dei per litora Mopsus,
 inmanis uisu, uittamque comamque per auras
 surgentem laurusque rotat. uox reddita tandem,
 uox horrenda uiris; tum facta silentia uati. 210
 'heu quaenam aspicio! nostris modo concitus ausis

aequoreos uocat ecce deos Neptunus et ingens
 concilium. fremere et sedem defendere cuncti
 hortantur. sic amplexu, sic pectora fratris,
 Iuno, tene; tuque o puppem ne desere, Pallas: 215
 nunc, patruī nunc flecte minas. cessere ratemque
 acceperē mari. per quot discrimina rerum
 expeditior! subita cur pulcher harundine crines
 uelat Hylas? unde urna umeris niueosque per artus
 caeruleae uestes? unde haec tibi uulnera, Pollux? 220
 quantus io tumidis taurorum e naribus ignis!
 tollunt se galeae sulcisque ex omnibus hastae
 et iam iamque umeri. quem citum uellere Martem
 aspicio? quaenam aligeris secat anguibus auras
 caede madens? quos ense ferit? miser eripe paruos 225
 Aesonide. cerno en thalamos ardere iugales.
 Iamdudum inuisa Minyas ambage ducemque
 terrificat; sed enim contra Phoebēius Idmon,
 non pallore uiris, non ullo horrore comarum
 terribilis, plenus pacis Phoeboque quieto, 230
 (cui genitor tribuit monitu praenoscerē diuum
 omina, seu flammās seu lubrica comminus exta
 seu plenum certis interroget aethera pinnis)
 sic sociis Mopsoque canit: 'quantum augur Apollo
 flammaque prima docet, praeduri plena laboris 235
 cerno equidem, patiens sed quae ratis omnia uincet.
 ingentes durate animae dulcesque parentum
 tendite ad amplexus.' lacrimae cecidere canenti,
 quod sibi iam clusos inuenit in ignibus Argos.
 Vix ea fatus erat, iungit cum talia ductor 240
 Aesonius: 'superum quando consulta uidetis,
 o socii, tantisque datur spes maxima coeptis,
 uos quoque nunc uires animosque adferte paternos.
 non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni
 suspectiue doli: deus haec, deus omine dextro 245
 imperat; ipse suo uoluit commercia mundo
 Iuppiter et tantos hominum miscere labores.
 ite, uiri, mecum dubiisque euincite rebus,

quae meminisse iuuet nostrisque nepotibus instent.
 hanc uero, socii, uenientem in litore laeti 250
 dulcibus adloquiis ludoque educite noctem.
 paretur. molli iuuenes funduntur in alga
 conspicuusque toris Tirynthius. exta ministri
 rapta simul ueribus Cereremque dedere canistris.

Iamque aderat summo decurrens uertice Chiron, 255
 clamantemque patri procul ostendebat Achillen.

ut puer ad notas erectum Pelea uoces
 uidit et ingenti tendentem brachia passu,
 adsiluit caraque diu ceruice pependit.

illum nec ualido spumantia pocula Baccho 260
 sollicitant ueteri nec conspicienda metallo
 signa tenent; stupet in ducibus magnumque sonantes
 haurit et Herculeo fert comminus ora leoni.

laetus at impliciti Peleus rapit oscula nati
 suspiciensque polum 'placito si currere fluctu 265
 Pelea uultis' ait 'uentosque optare ferentes,

hoc, superi, seruate caput. tu cetera, Chiron,
 da mihi. te paruus lituos et bella loquentem
 miretur; sub te puerilia tela magistro
 uenator ferat et nostram festinet ad hastam.' 270

omnibus inde uiae calor additus: ire per altum
 magna mente uolunt. Phruxi promittitur absens
 uellus et auratis Argo reditura corymbis.

Sol ruit et totum Minyis laetantibus undae
 diduxere diem. sparguntur litore curuo 275

lumina nondum ullis terras monstrantia nautis.
 Thracius hic noctem dulci testudine uates
 extrahit, ut steterit redimitus tempora uittis

Phruxus et iniustas contectus nubibus aras
 fugerit Inoo linguens Athamanta Learcho; 280

aureus ut iuuenem mirantibus intulit undis
 uector et adstrictis ut sedit cornibus Helle.

septem Aurora uias totidemque peregerat umbras
 Luna polo dirimique procul non aequore uisa
 coeperat a gemina discedere Sestos Abydo. 285

hic soror Aeoliden, aeuum mansura per omne,
 deserit, heu saeuae nequiquam erepta nouercae!
 illa quidem fessis longe petit umida palmis
 uellera, sed bibulas urgenti pondere uestes
 unda trahit leuique manus labuntur ab auro. 290
 quis tibi, Phrixe, dolor, rabido cum concitus aestu
 respiceres miserae clamantia uirginis ora
 extentasque manus sparsosque per aequora crines!

Iamque mero ludoque modus, positique quietis
 conticuere toris; solus quibus ordine fuis 295
 inpatiens somni ductor manet. hunc grauis Aeson
 et pariter uigil Alcimede spectantque tenentque
 pleni oculos. illis placidi sermonis Iason
 suggerit adfatus turbataque pectora mulcet.

mox, ubi uicta graui ceciderunt lumina somno, 300
 uisa coronatae fulgens tutela carinae
 uocibus his adstare duci: 'Dodonida quercum
 Chaoniiue uides famulam Iouis. aequora tecum
 ingredior, nec fatidicis auellere siluis
 me nisi promisso potuit Saturnia caelo. 305

tempus adest. age rumpe moras! nunc aequore tuto
 currimus; incertumst, si nubila duxerit aether.
 iam iam mitte metus, fidens superisque mihique.'
 dixerat. ille pauens, laeto quamquam omine diuum,
 prosiluit stratis. Minyas simul optulit omnis 310
 alma nouo crispans pelagus Tithonia Phoebo.
 discurrunt transtris: hi celso cornua malo
 expediunt, alii tonsas in marmore summo
 praetemptant, prora funem legit Argus ab alta.

Increscunt matrum gemitus et fortia languent 315
 corda patrum; longis flentes amplexibus haerent.
 uox tamen Alcimedes planctus super eminent omnes:
 femineis tantum illa furens ululatibus opstat,
 obruit Idaeam quantum tuba Martia buxum.
 fatur et haec: 'nate indignos aditure labores, 320
 diuidimur; nec ad hos animum componere casus
 ante datum, sed bella tibi terrasque timebam.

uota aliis facienda deis. si fata reducunt
 te mihi, si trepidis placabile matribus aequor,
 possum equidem lucemque pati longumque timorem. 325
 sin aliud Fortuna parat, miserere parentum,
 Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor. ei mihi, Colchos
 unde ego et auecti timuissem uellera Phruxi?
 quos iam mente dies, quam saeua insomnia curis
 prospicio! quotiens raucos ad litoris ictus 330
 deficiam a! Scythicum metuens pontumque petrasque
 nec de te credam nostris ingrata serenis!
 da, precor, amplexus haesuraque uerba relinque
 auribus et dulci iam nunc preme lumina dextra.
 talibus Alcimede maeret; sed fortior Aeson 335
 attollens dictis animos: 'o si mihi sanguis,
 quantus erat, cum signiferum cratera minantem
 non leuiore Pholum manus haec compescuit auro;
 primus in aeratis posuissem puppibus arma 340
 concussoque ratem gauderem tollere remo.
 sed patriae ualuere preces auditaque magnis
 uota deis. uideo nostro tot in aequore reges
 teque ducem. tales, tales ego ducere suetus
 adque sequi. nunc ille dies (det Iuppiter oro),
 ille super, quo te Scythici regisque marisque 345
 uictorem adque umeros ardentem uellere raptio
 accipiam cedantque tuae mea facta iuuentae.'
 sic ait. ille suo conlapsam pectore matrem
 sustinuit magnaue senem ceruice recepit.

Et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantis 350
 soluerat amplexus tristi tuba tertia signo.
 dant remo sua quisque uiri, dant nomina transtris.
 hinc laeuom Telamon pelagus tenet, altior inde
 occupat Alcides aliud mare, cetera pubes 355
 diuiditur: celer Asterion, quem matre cadentem
 Piresius gemino lauit pater amne Cometes,
 segnior Apidani uires ubi sentit Enipeus.
 nititur hinc Talaus fratrisque Leodocus urget
 remo terga sui, quos nobile contulit Argos.

hinc quoque missus adest quamuis arcentibus Idmon 360
 alitibus; sed turpe uiro timuisse futura.
 hic et Naubolides tortas consurgit in undas
 Iphitus, hic patrium frangit Neptunius aequor
 qui tenet undisonam Psamathen semperque patentem
 Taenaron Euphemus, mollique a litore Pellae 365
 Deucalion certus iaculis et comminus ense
 nobilis Amphion, pariter quos edidit Hypso
 nec potuit similes uoluitue ediscere uultus.
 tum ualida Clymenus percusso pectore tona
 frater et Iphiclus puppem trahit, et face saeua 370
 in tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu,
 Nauplius, et tortum non a Ioue fulmen Oileus
 qui gemet, Euboicas nato stridente per undas,
 quique Erymanthei sudantem pondere monstri
 Amphitryoniaden Tegeaeo limine Cepheus 375
 iuuit, et Amphidamas. at frater plenior annis
 maluit Ancaeo uellus contingere Phruxi.
 tectus et Eurytion seruato colla capillo,
 quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
 te quoque Thessalicae, Nestor, rapit in freta puppis 380
 fama, Mycenaeis olim qui candida uelis
 aequora et instantes mirabere mille magistros.
 hic uates Phoebique fides non uana parentis,
 Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
 palla imos ferit alba pedes uittataque fronte 385
 cassis et in summo laurus Peneia cono.
 quin etiam Herculeo consurgit ab ordine Tydeus
 Nelidesque Periclymenus, quem parua Methone
 felixque Elis equis et fluctibus obuius Aulon
 caestibus aduersos uiderunt frangere uultus. 390
 tu quoque Phruxeos remo, Poeantie, Colchos
 bis Lemnon uisure petis, nunc cuspide patris
 inclitus, Herculeas olim moture sagittas.
 proximus hinc Butes Actaeis diues ab oris;
 innumeras nam claudit apes longaque superbus 395
 fuscatur nube diem, dum plenas nectare cellas

pandit et in dulcem reges dimittit Hymetton.
 insequeris casusque tuos expressa, Phalere,
 arma geris; patula nam lapsus ab arbore paruum
 ter quater ardenti tergo circumuenit anguis: 400
 stat procul intendens dubium pater anxius arcum.
 tum caelata metus alios gerit arma Eribotes.
 nec Peleus fretus soceris et coniuge diua
 defuit, ac prora splendet tua cuspis ab alta,
 Aeacide: tantum haec aliis excelsior hastis, 405
 quantum Peliacas in uertice uicerat ornos.
 linquit et Actorides natum Chironis in antro,
 ut socius caro pariter meditetur Achilli
 fila lyrae pariterque leues puer incitet hastas,
 discat eques placidi conscendere terga magistri. 410
 et quem fama genus non est decepta Lyaei
 Phlias inmissus patrios de uertice crines.
 nec timet Ancaeum genetrix committere ponto,
 plena tulit quem rege maris. securus in aequor
 haut minus Erginus, proles Neptunia, fertur, 415
 qui maris insidias, clarae qui sidera noctis
 norit et e clausis quem destinet Aeolus austris,
 non metuat cui regna ratis, cui tradere caelum
 adsidua Tiphys uultum lassatus ab Arcto.
 taurea uulnifico portat caelataque plumbo 420
 terga Lacon, saltem in uacuos ut brachia uentos
 spargat et Oebalium Pagaseia puppis alumnum
 spectet securo celebrantem litora ludo.
 oraque Thessalico melior contundere freno
 uectorem puidae Castor dum quaereret Helles, 425
 passus Amyclaea pinguescere Cyllaron herba.
 illis Taenario pariter tremit ignea fuco
 purpura, quod gemina mater spectabile tela
 duxit opus; bis Taygeton siluasque comantes
 struxerat, Eurotan molli bis fuderat auro; 430
 quemque suus sonipes niueo de stamine portat
 et uolat amborum patrius de pectore cyncus.
 at tibi collectas soluit iam fibula uestes

ostenditque umeros fortes spatiumque superbi
 pectoris Herculeis aequum, Meleagre, lacertis. 435
 hinc numerosa phalanx, proles Cyllenia: certus
 Aethalides subitas neruo redeunte sagittas
 cogere; tu medios gladio bonus ire per hostes,
 Euryte; nec patrio Minyis ignobilis usu,
 nuntia uerba ducis populis qui reddit, Echion. 440
 sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis
 heu cinerem Scythica te maesta relinquet harena.
 cessantemque tuom lugebit in ordine remum.
 te quoque dant campi tanto pastore Pheraei
 felices, Admete; tuis nam pendit in aruis 445
 Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
 a quotiens famulo notis soror obuia siluis
 fleuit, ubi Ossaeae captaret frigora quercus
 panderet et pingui mersos Boebeide crines.
 insurgit transtris et remo Nerea uersat 450
 Canthus, in Aeaeano uoluet quem barbara cuspis
 puluere; at interea clari decus adiacet orbis,
 quem genitor gestabat Abas; secat aurea fluctu
 tegmina Chalcidicas fugiens Euripus harenas,
 celsaque semiferum contorquens frena luporum 455
 surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geraesto.
 nec tibi Palladia pinu, Polypheme, reuecto
 ante urbem ardentis restat deprendere patris
 reliquias, multum famulis pia iusta moratis,
 si uenias. breuiore ferit iam caerula remo 460
 occupat et longe sua transtra nouissimus Idas.
 at frater magnos Lynceus seruatur in usus,
 quem tulit Arene, possit qui rumpere terras
 et Styga transmisso tacitam deprendere uisu.
 fluctibus e mediis terras dabit ille magistro 465
 et dabit astra rati, cumque aethera Iuppiter umbra
 condiderit, solus transibit nubila Lynceus.
 quin et Cecropiae proles uacat Orithyiae,
 temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
 nec uero Odrysius transtris inpenditur Orpheus 470

aut pontum remo subigit, sed carmine tonsas
 ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.
 donat et Iphiclo pelagus iuuenumque labores
 Aesonides, fessum Phylace quem miserat aeuo,
 non iam operum in partem, monitus sed tradat ut acres 475
 magnorumque uiros qui laudibus urat auorum.
 Arge, tuae tibi cura ratis, te moenia doctum
 Thespia Palladio dant munere; sors tibi, nequa
 parte trahat tacitum puppis mare fissaque fluctu
 uel pice uel molli conducere uulnera cera. 480
 peruigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro
 Hagniades, felix stellis qui segnibus usum
 et dedit aequoreos caelo duce tendere cursus.

Ecce per obliqui rapidum compendia montis
 ductor ouans laetusque dolis agnoscit Acastum 485
 horrentem in iaculis et parmae luce coruscum.
 ille ubi se mediae per scuta uirosque carinae
 intulit, ardenti Aesonides retinacula ferro
 abscondit; haut aliter saltus uastataque pernix
 uenator quam lustra fugit dominoque timentem 490
 urget equum, teneras complexus pectore tigres,
 quas astu rapuit pauido, dum saeua relictis
 mater in auerso catulis uenatur Amano.
 ut pariter propulsa ratis, stant litore matres
 claraque uela oculis percussaque sole secuntur 495
 scuta uirum, donec iam celsior arbore pontus
 inmensusque ratem spectantibus abstulit aer.

Siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
 coepta tuens tantamque operis consurgere molem
 laetatur; patrii neque enim probat otia regni. 500
 una omnes gaudent superi uenturaque Enyo
 tempora quaeque uias cernunt sibi crescere Parcae.
 sed non et Scythici genitor discrimine nati
 intrepidus tales fundit Sol pectore uoces:
 'summe sator, cui nostra dies uoluentibus annis 505
 tot peragit reficitque uices, tuane ista uoluntas?
 Graiaque nunc undis duce te nutuque secundo

it ratis? an meritos fas et mihi rumpere questus?
 hoc metuens et nequa foret manus inuida nato,
 non mediae telluris opes, non improba legi
 diuitis arua plagae (tenent uberrima Teucer
 et Libys et uestri Pelopis domus): horrida saeuo
 quae premis arua gelu strictosque insedimus amnes.
 cederet his etiam et sese sine honore referret
 ulterius, sed nube rigens ac nescia ueris
 stat super et nostros iam zona reuerberat ignes.
 quid regio inmanis, quid barbarus amnibus ullis
 Phasis et auersis proles mea gentibus obstat?
 quid Minyae meruere queri? num uellere Graio
 ui potitur? profugo quin agmina iungere Phrixo
 abnuat Inoas ultor nec uenit ad aras,
 imperii sed parte uirum nataeque moratus
 coniugio uidet e Graia nunc stirpe nepotes
 en teneros, uocat et iunctas sibi sanguine terras.
 flecte ratem motusque, pater, nec uulnere nostro
 aequora pande uiris: ueteris sat conscia luctus
 silua Padi et uiso flentes genitore sorores.
 adfremit his quassatque caput qui uellera dono
 bellipotens sibi fixa uidet tempta, actaque contra
 Pallas et amborum gemuit Saturnia questus.

Tum genitor 'uetera haec nobis et condita pergunt
 ordine cuncta suo rerumque a principe cursu
 fixa manent; neque enim terris tum sanguis in ullis
 noster erat, cum fata darem; iustique facultas
 hinc mihi, cum uarios struerem per saecula reges.
 adque ego curarum repetam decreta mearum.
 iam pridem regio, quae uirginis aequor ad Helles
 et Tanain tenus immenso descendit ab Euro,
 undat equis floretque uiris, nec tollere contra
 ulla pares animos nomenque capessere bellis
 ausa manus; sic fata, locos sic ipse fouebam.
 adcelerat sed summa dies Asiamque labantem
 linquimus et poscunt iam me sua tempora Grai.
 inde meae quercus tripodesque animaeque parentum

hanc pelago misere manum. uia facta per undas 545
 perque hiemes, Bellona, tibi. nec uellera tantum
 indignanda manent propiorque ex uirgine rapta
 ille dolor, sed (nulla magis sententia menti
 fixa meae) ueniet Phrygia iam pastor ab Ida,
 qui gemitus irasque pares et mutua Grais 550
 damna ferat. qua classe dehinc effusa procorum
 bella! quot ad Troiam flentes hiberna Mycenae!
 quot proceres natosque deum, quae robora cernes
 oppetere, ut magnis Asiam concedere fatis!
 hinc Danaum de fine sedet gentesque fouebo 555
 mox alias. pateant montes siluaeque lacusque
 cunctaque claustra maris; spes et metus omnibus esto
 arbiter. ipse locos terrenaque summa mouendo
 experiar, quatenus populis longissima cunctis
 regna uelim linquamque datas ubi certus habenas.' 560
 tunc oculos Aegaea refert ad caerula robur
 Herculeum Ledaque tuens genus adque ita fatur:
 'tendite in astra, uiri: me primum regia mundo
 Iapeti post bella trucis Phlegraeque labores
 inposuit: durum uobis iter et graue caeli 565
 institui. sic ecce meus, sic orbe peracto
 Liber et expertus terras remeauit Apollo.'
 dixit et ingenti flammantem nubila sulco
 derexit per inane facem, quae puppe propinqua
 in bifidum discessit iter fratresque petiuit 570
 Tyndareos, placida et mediis in frontibus haesit
 protinus amborum lumenque innoxia fundit
 purpureum, miseris olim inplorabile nautis.
 Interea medio saeuus permissa profundo
 carbasa Pangaea Boreas speculatus ab arce 575
 continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
 concitus. omne dei rapidis nemus ingemit alis,
 strata Ceres, motuque niger sub praepete pontus.
 aequore Trinacrio refugique a parte Pelori
 stat rupes horrenda fretis: quot in aethera surgit 580
 molibus, infernas totidem demissa sub undas.

nec scopulos aut antra minax iuxta altera tellus
 cernitur: illa Acamans habitat nudusque Pyragmo.
 has nimbi uentique domos et naufraga seruat
 tempestas; hinc in terras latumque profundum 585
 est iter, hinc olim soliti miscere polumque
 infelixque fretum (neque enim tunc Aeolus illis
 rector erat, Libya cum rumperet aduena Calpen
 Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines
 perderet et mediis intrarent montibus undae), 590
 intonuit donec pavidis ex aethere uentis
 omnipotens regemque dedit, quem iussa uereri
 saeua cohors: in monte chalybs iterataque muris
 saxa domant Euros. cum iam cohibere frementum
 ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit 595
 ipse uolens placatque data fera murmura porta.
 nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto.
 'Pangaea quod ab arce nefas' ait, 'Aeole, uidi!
 Graia nouam ferro molem commenta iuuentus
 pergit et ingenti gaudens domat aequora bello, 600
 nec mihi libertas imis freta tollere harenis.
 qualis eram nondum uinclis et carcere clausus!
 hinc animi structaeque uiris fiducia puppis,
 quod Borean sub rege uident. da mergere Graios
 insanamque ratem: nil me mea pignora tangunt. 605
 tautum hominum compesce minas, dum litora iuxta
 Thessala necdum aliae uiderunt carbasa terrae.'

Dixerat. at cuncti fremere intus et aequora uenti
 poscere. tum ualido contortam turbine portam
 inpulit Hippotades. fundunt se carcere laeti 610
 Thraces equi Zephyrusque et nocti concolor alas
 nimborum cum prole Notus crinemque procellis
 hispidus et multa flauus caput Eurus harena;
 induxere hiemem raucoque ad litora tractu
 unanimi freta curua ferunt nec sola tridentis 615
 regna mouent; uasto pariter ruit igneus aether
 cum tonitru piceoque premit nox omnia caelo.
 excussi manibus remi conuersaque frontem

puppis in oblicum resonos latus accipit ictus,
 uela super tremulum subitus uolitantia malum 620
 turbo rapit. qui tum Minyis trepidantibus horror,
 cum picei fulsere poli pauidamque coruscae
 ante ratem cecidere faces, antemnaque laeuo
 prona dehiscentem cornu cum sustulit undam!
 non hiemem missosque putant consurgere uentos 625
 ignari, sed tale fretum. tum murmure maesto
 'hoc erat inlicitas temerare rudentibus undas
 quod nostri timuere patres. uix litore puppem
 soluimus, et quanto fremitu se sustulit Aegon!
 hocine Cyanaeae concurrunt aequore cautes? 630
 tristius an miseris superest mare? linquite, terrae,
 spem pelagi sacrosque iterum seponite fluctus.'
 haec iterant segni flentes occumbere leto.
 magnanimus spectat pharetras et inutile robur
 Amphitryoniades; miscent suprema pauentes 635
 uerba alii iunguntque manus adque ora fatigant
 aspectu in misero uotis, cum protinus alnus
 soluitur et uasto puppis mare sorbet hiatu.
 illam huc atque illuc nunc torquens uerberat Eurus.
 nunc stridens Zephyris aufert Notus; undique feruent 640
 aequora, cum subitus trifida Neptunus in hasta
 caeruleum fundo caput extulit. 'hanc mihi Pallas
 et soror hanc' inquit 'mulcens mea pectora fletu
 abstulerint; ueniant Phariae Tyriaeque carinae
 permissumque putent. quotiens mox rapta uidebo 645
 uela notis plenasque malis clamoribus undas!
 non meus Orion aut saeuus Pliade Taurus
 mortis causa nouae. miseris tu gentibus, Argo,
 fata paras, nec iam merito tibi, Tiphy, quietum
 ulla parens uolet Elysium manesque piorum.' 650
 haec ait et pontum pater ac turbata reponit
 litora depellitque notos, quos caeruleus horror
 et madido grauis unda sinu longeque secutus
 imber ad Aeoliae tendunt simul aequora portae.
 emicuit reserata dies caelumque resoluit 655

arcus et in sūmmos redierunt nubila montes.
 iam placidis ratis exstat aquis, quam gurgite ab imo
 et Thetis et magnis Nereus socer erigit ulnis.
 ergo umeros ductor sacro uelatur amictu
 Aesoniamque capit pateram, quam munere gaudens 660
 liquerat hospitio pharetrasque rependerat auro
 Salmoneus, nondum ille furens tum, fingeret alti
 qui trifida trabe tela Iouis contraque ruenti
 aut Athon aut Rhodopen maestae nemora ardua Pisae
 aemulus et miseros ipse ureret Elidis agros. 665
 hac pelago libat latices et talibus infit:
 'di, quibus undarum tempestatisque sonorae
 imperium et magno penitus par regia caelo,
 tuque, fretum diuosque pater sortite biformes,
 seu casus nox ista fuit seu uoluitur axis, 670
 ut superum sic constet opus, tollique necessum
 pontus habet seu te subitae noua puppis imago
 armorumque hominumque truces consurgere in iras
 impulit, haec luerim satis et tua numina, rector,
 iam fuerint meliora mihi. da reddere terris 675
 has animas patriaeque amplecti limina portae.
 tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
 pascet honos, ubicumque rotis horrendus equisque
 stas, pater, adque ingens utrimque fluentia Triton
 frena tenet; sanctus nostrasque colere per urbes.' 680
 dixerat haec. oritur clamor dextraeque sequuntur
 uerba ducis. sic cum stabulis et messibus ingens
 ira deum et Calabri populator Sirius arui
 incubuit, coit agrestum manus anxia priscum
 in nemus et miseris dictat pia uota sacerdos. 685
 ecce autem molli zephyros descendere lapsu
 aspiciunt; uolat inmissis caua pinus habenis
 infinditque salum et spumas uomit aere tridenti:
 Tiphys agit tacitique sedent ad iussa ministri;
 qualiter ad summi solium Iouis omnia circum 690
 prona parata deo, uentique imbresque niuesque
 fulguraque et tonitrus et adhuc in fontibus amnes.

At subitus curaque ducem metus acrior omni
 mensque mali praesaga quatit, quod regis adortus
 progeniem raptoque dolis crudelis Acasto 695
 cetera nuda neci medioque in crimine patrem
 liquerit ac nullis inopem uallauerit armis,
 ipse procul nunc tuta tenens; ruat omnis in illos
 quippe furor. nec uana pauet trepidatque futura.
 Saeuit atrox Pelias inimicaque uertice ab alto 700
 uela uidet nec qua se ardens effundere possit.
 nil famuli, nil regna iuuant; fremit obice ponti
 clausa cohors telisque salum facibusque coruscat.
 haut secus; aerisona uolucer cum Daedalus ora
 prosiluit iuxtaque comes breuioribus alis, 705
 nube noua linquente domos, Minoia frustra
 infremuit manus et uisu lassatur inani
 omnis eques plenisque redit Gortyna pharetris.
 quin etiam in thalamis primoque in limine Acasti
 fusus humo iuuenis gressus et inania signi 710
 ore premit sparsisque legens uestigia canis
 'te quoque iam maesti forsan genitoris imago,
 nate,' ait 'et luctus subeunt suspiria nostri,
 iamque dolos circumque trucis discrimina leti
 mille uides. qua te, infelix, quibus insequar oris? 715
 non Scythicas ferus ille domos nec ad ostia Ponti
 tendit iter, falsae sed captum laudis amore
 te, puer, in nostrae durus tormenta senectae
 nunc lacerat. celsis an si freta puppibus essent
 peruia, non ultro iuuenes classemque dedissem? 720
 o domus, o freti nequiquam prole penates!
 dixit et extemplo furiis iraque minaci
 terribilis 'sunt hic etiam tua uulnera, praedo,
 sunt lacrimae casusque pares.' simul aedibus altis
 itque reditque fremens rerumque asperrima uersat. 725
 Bistonas ad meritos cum cornua saeua Thyoneus
 torsit et infelix iam mille furoribus Haemus,
 iam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
 porticibus coniunxque fugit natiqque Lycurgum.

Tartareo tum sacra Ioui Stygiisque ferebat 730
 manibus Alcimede tanto super anxia nato,
 siquid ab excitis melius praenosceret umbris.
 ipsum etiam curisque parem talesque prementem
 corde metus ducit, facilem tamen, Aesona coniunx.
 in scrobibus cruor et largus Phlegethontis operti 735
 stagnat honos, saeuoque uocat grandaeva tumultu
 Thessalis exanimes ataus magnaëque nepotem
 Pleiones. et iam tenues ad carmina uultus
 extulerat maestosque tuens natumque nurumque.
 talia libato pandebat sanguine Cretheus: 740
 'mitte metus, uolat ille mari quantumque propinquat,
 iam magis adque magis uariis stupet Aea deorum
 prodigiis quatiuntque truces oracula Colchos.
 heu quibus ingreditur factis! qui gentibus horror
 pergit! mox Scythiae spoliis nuribusque superbus 745
 adueniet; cuperem ipse graues tum rumpere terras.
 sed tibi triste nefas fraternaue turbidus arma
 rex parat et saeuos irarum concipit ignes.
 quin rapis hanc animam et famulos citus effugis ictus?
 i, meus es, iam te in lucos pia turba silentum 750
 secretisque ciet uolitans pater Aeolus aruis.'

Horruit interea famulum clamore supremo
 maesta domus, regemque furor per moenia differt
 mille ciere manus et iam dare iussa uocatis.
 flagrantes aras uestemque nemusque sacerdos 755
 praecipitat, subitisque pauens circumspicit Aeson,
 quid moueat. quasi multa leo cunctatur in arta
 mole uirum rictumque gemens et lumina pressit:
 sic curae subiere ducem, ferrumne capessat
 inbelle atque aeui senior gestamina primi 760
 an patres regnique acuat mutabile uulgus.
 contra effusa manus haerensque in pectore coniunx
 'me quoque' ait 'casus comitem quicumque propinquat
 accipies, nec fata traham natumque uidebo
 te sine, sat caeli patiens, cum prima per altum 765
 uela dedit, potui quae tantum ferre dolorem.'

talia per lacrimas. et iam circumspicit Aeson,
 praeueniat quo fine minas, quae fata capessat
 digna satis: magnos obitus natumque domumque
 et genus Aeolium pugnatique poscere bella. 770
 est etiam ante oculos aeuum rudis altera proles,
 ingentes animos et fortia discere facta
 quem uelit adque olim leti meminisse paterni.
 ergo sacra nouat. ueteris sub nocte cupressi
 sordidus et multa pallens ferrugine taurus 775
 stabat adhuc, cui caeruleae per cornua uittae
 et taxi frons hirta comis; ipse aeger anhelans
 inpatiensque loci uisaeque exterritus umbra.
 [hunc sibi praecipuum gentis de more nefandae
 Thessalis in seros Ditis seruauerat usus.] 780
 illum ubi terrifici superesse in tempore sacri
 conspexit, statuit leto supremaque fatur
 ipse manu tangens damnati cornua tauri:
 uos, quibus imperium Iouis et non segne peractum
 lucis iter, mihi consiliis, mihi cognita bellis 785
 nomina magnorum fama sacrata nepotum;
 tuque, excite parens umbris, ut nostra uideres
 funera et oblitos superum paterere dolores,
 da placidae mihi sedis iter meque hostia uestris
 conciliet praemissa locis. tu, nuntia sontum 790
 uirgo Ioui, terras oculis quae prospicis aequis,
 ultricesque deae Fasque et grandaeva Furorum
 Poena parens, meriti regis succedite tectis
 et saeuas inferte faces. sacer effera raptet
 corda pauor; nec sola mei grauia adfore nati 795
 arma ratemque putet: classes et Pontica signa
 adque indignatos temerato litore reges
 mente agitet semperque metu decurrat ad undas
 arma ciens; mors sera uiam temptataque claudat
 effugia et nostras nequeat praecurrere diras, 800
 sed reduces iam iamque uiros auroque coruseum
 cernat iter. stabo insultans et ouantia contra
 ora manusque feram. tum, uobis siquod inausum

arcanumque nefas et adhuc incognita leti
 sors superest, date fallaci pudibunda senectae 805
 exitia indecoresque obitus. non Marte nec annis
 aut nati praedo ille mei dignatus ut umquam
 ense cadat; quin fida manus, quin cura suorum
 diripiat laceretque senem nec membra sepulchro
 contegat. haec noster de rege piacula sanguis 810
 sumat et heu iunctae quas misit in aequora gentes.⁷
 tergeminam tum placat eram Stygiasque supremo
 obsecrat igne domos iam iam exorabile Auerno
 carmen agens; neque enim ante leues niger auehit umbras
 portitor et uinctae primis stant faucibus Orci. 815
 adstitit et nigro fumantia pocula tabo
 contigit ipsa graui Furiarum maxima dextra;
 illi auide exceptum pateris hausere cruorem.

Fit fragor; inrumpunt foribus qui saeua ferebant
 imperia et strictos iussis regalibus enses. 820
 in media iam morte senes suffectaque leto
 lumina et undanti reuomentes peste cruorem
 conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
 te, puer, et uisa pallentem morte parentum
 deripiunt adduntque tuis. procul horruit Aeson 825
 excedens memoremque tulit sub nubibus umbram.

Cardine sub nostro rebusque abscisa supernis
 Tartarei sedet aula patris, non illa ruenti
 accessura polo, uictam si uoluere molem

* * *

ingenti iacet ore Chaos, quod pondere fessam 831
 materiem lapsumque queat consumere mundum.
 hic geminae numero portae, quarum altera dura
 semper lege patens populos regesque receptat;
 ast aliam temptare nefas et tendere contra: 835
 rara et sponte patet, siquando pectore ductor
 uulnera nota gerens, galeis praefixa rotisque
 cui domus aut studium mortales pellere curas,
 culta fides, longe metus adque ignota cupido;
 seu uenit in uittis castaque in ueste sacerdos. 840

quos omnes lenis plantis et lampada quassans
progenies Atlantis agit. lucet uia late
igne dei, donec siluas et amoena piorum
deueniant camposque, ubi sol totumque per annum
durat aprica dies thiasique chorique uirorum 845
carminaque et quorum populis iam nulla cupido.
has pater in sedes aeternaque moenia natum
inducitque nurum. tum porta quanta sinistra
poena docet maneat Pelian, quod limine monstrum.
mirantur tantos strepitus turbamque ruentem 850
et contra infernos almae uirtutis honores.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER SECUNDUS.

Interea scelerum luctusque ignarus Iason
alta secat; neque enim patrios cognoscere casus
Iuno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis
ac temere in Pelian et adhuc obstantia regis
fata ruat placitosque deis ne deserat actus. 5

Iamque fretis summas aequatum Pelion ornos
templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae.
Iam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit
Sepias; attollit tondentes pabula Magnes
campus equos; uidisse putant Dolopeia busta 10

intransemque Amyron curuas quaesita per oras
aequora, flumineo cuius redeuntia uento
uela legunt. remis insurgitur; inde salutant
Eurymenas; recipit uelumque fretumque reuersus
auster et in nubem Minyis repetentibus altum 15

Ossa redit. metus ecce deum damnataque bello
Pallene, circumque uident inmania monstra
terrigenum caelo quondam aduersata gigantum,
quos scopulis trabibusque parens miserata iugisque
induit et uersos extruxit in aethera montes. 20

quisque suas in rupe minas pugnamque metusque
seruat adhuc; quatit ipse hiemes et torquet ab alto
fulmina crebra pater; scopulis sed maximus illis
horror abest, Sicula pressus tellure Typhoeus.
hunc profugum et sacras reuomentem pectore flammis 25

ut memorant, presum ipse comis Neptunus in altum
 abstulit implicuitque uadis totiensque cruenta
 mole resurgentem torquentemque anguibus undas
 Sicanium dedit usque fretum cumque urbibus Aetnam
 intulit ora premens; trux ille eiectat adesi 30
 fundamenta iugi; pariter tunc omnis anhelat
 Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem
 commouet experiens gemituque reponit inani.
 Iamque Hyperionius metas maris urget Hiberi
 currus et euctae pronolaxantur habenae 35
 aethere, cum palmas Tethys grandaeva sinusque
 sustulit et rupto sonuit sacer aequore Titan.
 auxerat hora metus, iam se uertentis Olympi
 ut faciem raptosque simul montesque locosque
 ex oculis circumque graues uidere tenebras. 40
 ipsa quies rerum mundique silentia terrent
 astraque et effusis stellatus crinibus aether.
 ac uelut ignota captus regione uiarum
 noctiuagum qui carpit iter non aure quiescit,
 non oculis, noctisque metus niger auget utrimque 45
 campus et occurrens umbris maioribus arbor,
 haud aliter trepidare uiri. sed pectora firmans
 Hagniadēs 'non hanc' inquit 'sine numine pinum
 derigimus, nec me tantum Tritonia cursus
 erudiit; saepe ipsa manu dignata carinam est. 50
 an non experti, subitus cum luce fugata
 horruit imbre dies? quantis, pro Iuppiter, austris
 restitimus! quanta quotiens en Palladis arte
 incassum decimae cecidit tumor arduus undae!
 quin agite, o socii; micat immutabile caelum 55
 puraque nec grauido surrexit Cynthia cornu,
 nullus in ore rubor, certusque ad talia Titan
 integer in fluctus et in uno decidit auro.
 adde, quod in noctem uenti ueloque marique
 incumbunt magis et tacitis ratis ocior horis. 60
 atque adeo non illa sequi mihi sidera mens stat,
 quae delapsa polo reficit mare (talis Orion

iam cadit, irato iam stridet in aequore Perseus),
sed mihi dux, uetitis qui numquam conditus undis
axe nitet serpens septenosque implicat ignes.' 65

sic ait et certi memorat qui uultus Olympi,
Pleiones Hyadumque locos, quo sidere uibret
Ensis et Actaeus niteat qua luce Bootes.
haec ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
restituunt uires et parco corpora Baccho. 70

mox somno cessere; regunt sua sidera puppem.
Iamque sub Eoae dubio Pallantidis igne
albet ager motisque truces ab ouilibus ursi
tuta domosque petunt, raras et litus in altum
mittit aues; cum primus equis exegit anhelis 75
Phoebus Athon mediasque diem dispersit in undas.

certatim remis agitur mare rostraque cursu
prima tremunt; et iam summis Vulcania surgit
Lemnos aquis tibi per uarios dilecta fauores,
ignipotens; nec te furiis et crimine matrum 80
terra fugat meritique piget meminisse prioris.

Tempore quo primum fremitus insurgere opertos
caelicolum et regni sensit nouitate tumentes
Iuppiter aetheriae nec stare silentia pacis,
Iunonem uolucris primam suspendit Olympo 85
horrendum chaos ostendens poenasque barathri.

mox etiam pauidae temptantem uincula matris
soluere praerupti Vulcanum uertice caeli
deuoluit; ruit ille polo noctemque diemque
turbinis in morem, Lemni dum litore tandem 90
insonuit. uox inde repens ut perculit urbem,

adclinem scopulo inueniunt miserentque fouentque
alternos aegro cunctantem poplite gressus.

hinc, rursus superas postquam pater adnuit arces,
Lemnos cara deo, nec fama notior Aetne 95
aut Lipares domus: has epulas, haec templa peracta
aegide et horrifici formatis fulminis alis
laetus adit. contra Veneris stat frigida semper
ara loco, meritas postquam dea coniugis iras

horruit et tacitae Martem tenere catenae. 100
 quocirca struit illa nefas Lemnoque merenti
 exitium furiale mouet; neque enim alma uideri
 uultum ea nec tereti crinem subnectitur auro
 sidereos diffusa sinus; eadem effera et ingens
 et maculis suffecta genas pinumque sonantem 105
 uirginibus Stygiis nigramque simillima pallam.
 Iamque dies aderat, Thracas quo fuderat armis
 dux Lemni puppes tenui contexere canna
 ausus et inducto cratem defendere tergo.
 laeta mari tum signa refert, plenasque mouebant 110
 armentis nuribusque rates; his barbara uestis
 et torques, insigne loci. sonat aequore clamor
 'o patria, o uariis coniunx nunc anxia curis,
 has agimus longi famulas tibi praemia belli':
 cum dea se piceo per sudum turbida nimbo 115
 praecipitat Famamque uagam uestigat in umbra,
 quam pater omnipotens digna adque indigna canentem
 spargentemque metus placidis regionibus arcet
 aetheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
 non erebi, non diua poli, terrasque fatigat, 120
 quas datur; augentem primi spernuntque fouentque;
 mox omnes agit et motis quatit oppida linguis.
 talem diua sibi scelerisque dolique ministram
 quaerit auens. uidet illa prior, iamque aduolat ultro
 inpatiens, iamque ora parat, iam suscitatur aures. 125
 hanc superincendit Venus adque his uocibus implet:
 'uade age et aequoream, uirgo, delabere Lemnon
 et cunctas mihi uerte domos, praecurrere qualis
 bella soles, cum mille tubas armataque campis
 agmina et innumerum flatus confingis equorum. 130
 adfore iam luxu turpique cupidine captos
 fare uiros carasque toris inducere Thraessas.
 haec tibi principia, hinc rabidas dolor undique matres
 instimulet: mox ipsa adero ducamque paratas.'
 Illa abit et mediam gaudens defertur in urbem; 135
 et primam Eurynomen ad proxima limina Codri

occupat exesam curis castumque cubile
 seruantem: manet illa uiro famulasque fatigat
 uelleribus, tardi reputant quae tempora belli
 ante torum et longo mulcent insomnia penso. 140
 huic dea cum lacrimis et nota uoce Neerae
 icta genas 'utinam non hic tibi nuntius essem,
 o soror, aut nostros' inquit 'prius unda dolores
 obruat, in tali quoniam tibi tempore coniunx
 sic meritae, uotis quem tu fletuque requiris, 145
 heu furit et captae indigno stimulatur amore.
 iamque aderunt thalamisque tuis Threissa propinquat
 non forma, non arte colus, non laude pudoris
 par tibi nec magni proles praeclara Dorycli,
 picta manus ustoque placet sed barbara mento. 150
 ac tamen hos aliis forsitan solabere casus
 tu thalamis fatoque leges meliore penates;
 me tua matris egens damnataque paelice proles
 exanimat, quam iam miseros transuersa tuentem
 letalesque dapes infectaque pocula cerno. 155
 scis simile ut flammis simus genus; adde cruentis
 quod patrium saeuire Dahis. iam lacte ferino,
 iam ueniet durata gelu. sed me quoque pulsam
 fama uiro, nostrosque toros uirgata tenebit
 et plaustro derepta nurus.' sic fata querellas 160
 abscidit et curis pauidam lacrimisque relinquit.
 transit ad Iphinoen isdemque Amythaonis implet
 Olenique domum furiis; totam inde per urbem
 personat, ut cunctas agitent expellere Lemno,
 ipsi urbem Thraessaeque regant. dolor iraque surgit. 165
 obuia quaeque eadem traditque auditque, neque ulli
 uana fides. tum uoce deos, tum questibus implent,
 oscula iamque toris adque oscula postibus ipsis
 ingeminant lacrimisque iterum uisusque morantur.
 prosiliunt nec tecta uirum thalamosque reuisunt 170
 amplius; adglomerant sese nudisque sub astris
 condensae fletus acuunt ac dira precantur
 coniugia et Stygias infanda ad foedera taedas.

Has inter medias Dryopes in imagine maesta
 flet Venus et saevis ardens dea planctibus instat 175
 primaque 'Sarmaticas utinam Fortuna dedisset
 insedisse domos tristesque habitasse pruinas,
 plaustra sequi, uel iam patriae uidisse per ignes
 culmen agi stragemque deum! nam cetera belli
 perpetimur. mene ille nouis, me destinat amens 180
 seruitiis? urbem aufugiens natosque relinquam?
 non prius ense manus raptoque armabimus igne,
 dumque silent ducuntque noua cum coniuge somnos,
 magnum aliquid spirabit amor?' tunc ignea torquens
 lumina praecipites excussit ab ubere natos. 185
 ilicet arrectae mentes euictaque matrum
 corda sacer Veneris gemitus rapit: aequora cunctae
 prospiciunt simulantque choros delubraque festa
 fronde tegunt laetaeque uiris uenientibus adsunt.
 iamque domos mensasque petunt; discumbitur altis 190
 porticibus; sua cuique furens funestaque coniunx
 adiacet, inferni qualis sub nocte barathri
 adcubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta
 Tisiphone saeuasque dapes et pocula libat
 (tormenti genus) et nigris amplectitur hydris. 195
 Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum
 adglomerat tenebras pugnaeque adcincta trementem
 desilit in Lemnon; nimbis et luce fragosa
 prosequitur polus et tonitru pater auget honoro.
 inde nouam pauidas uocem furibunda per auras 200
 congeminat, qua pulsus Athos et pontus et ingens
 Thraca pauet pariterque toris exhorruit omnis
 mater et adstricto riguerunt ubere nati.
 adcelerat Pauor et Geticis Discordia demens
 e stabulis atraeque genis pallentibus Irae 205
 et Dolus et Rabies et Leti maior imago
 uisa truces exerta manus, ut prima uocatu
 intonuit signumque dedit Mauortia coniunx.
 hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum
 orsa nefas gemitus fingit uocesque cadentum 210

inrupitque domos, et singultantia gestans
 ora manu taboque sinus perfusa recenti
 arrectaque coma 'meritos en prima reuertor
 ulta toros, premit ecce dies'. tum uerbere uictas
 in thalamos agit et cunctantibus inserit enses. 215
 unde ego tot scelerum facies, tot fata iacentum
 exequar? heu uatem monstris quibus intulit ordo!
 quae se aperit series! o qui me uera canentem
 sistat et hac nostras exsoluat imagine cartas!
 inuadunt artus et quondam cara suorum 220
 corpora: pars, ut erant dapibus uinoque sopori,
 ignaros, pars insomnes et cuncta tuentes.
 sed temptare fugam prohibetque capessere contra
 arma metus; adeo ingentes inimica uideri 225
 diua dabat, notaque sonat uox coniuge maior.
 tantum oculos pressere manu, uelut agmina cernant
 Eumenidum ferrumue super Bellona coruscet.
 hoc soror, hoc coniunx, propiorque hoc nata parensque
 saeua ualet; prensosque toris mactatque trahitque 230
 femineum genus, inmanes quos sternere Bessi
 nec Geticae potuere manus aut aequoris irae.
 it cruor in thalamis et anhelo in pectore fumant
 uulnera seque toris misero luctamine trunci
 deuoluunt. diras aliae ad fastigia taedas 235
 iniciunt adstantque domos: *pars inde uirorum*
consumpta in somno flammis, pars ignibus acti
 effugiunt propere, sed dura in limine coniunx
 obsidet et uiso repetunt incendia ferro.
 ast aliae Thraessas labem causamque furoris
 deripiunt; mixti gemitus clamorque precantum 240
 barbarus ignotaeque implebant aethera uoces.
 Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis
 orsa feram, decus et patriae laus una furentis,
 Hypsipyle? non ulla meo te carmine dictam
 abstulerint, durent Latiis modo saecula fastis 245
 Iliacique lares tantique palatia regni.
 inruerant actae pariter nataeque nurusque

totaque iam sparsis exarserat insula monstris.
 illa pias armata manus 'fuge protinus urbem
 meque, pater; non hostis,' ait 'non moenia laeti 250
 Thraces habent; nostrum hoc facinus. ne quaere, quis auctor.
 iam fuge, iam dubiae donum rape mentis et ensem
 tu potius, miserere, tene.' tunc excipit artus
 obnubique caput tacitumque ad conscia Bacchi
 templa rapit, primoque manus a limine tendens 255
 'exime nos sceleri, pater, et miserere piorum
 rursus' ait. tacita pauidum tunc sede locauit
 sub pedibus dextraque dei; latet ille receptus
 ueste sacra; uoces tholus et trieterica reddunt
 aera sonum fixaeque fremunt in limine tigres. 260
 regina ut roseis Auroram surgere bigis
 uidit et insomni lassatas turbine tandem
 conticuisse domos, stabilem quando optima facta
 dant animum maiorque piis audacia coeptis,
 serta patri iuuenisque comam uestesque Lyaei 265
 induit et medium curru locat aeraque circum
 tympanaque et plenas tacita formidine cistas.
 ipsa sinus hederisque ligat famularibus artus
 pampineamque quatit uentosis ictibus hastam
 respiciens, teneat uirides elatus habenas 270
 ut pater, in niuea tumeant ut cornua mitra
 et sacer ut Bacchum referat scyphus. inpulit acri
 tum ualidas stridore fores rapiturque per urbem
 talia uoce canens: 'linque o mihi caede madentem,
 Bacche, domum; sine foedatum te funere pontus 275
 expiet et referam lotos in templa dracones.'
 sic medios egressa metus; facit ipse uerendam
 nam deus et flatu non inscia gliscit anhelos.
 iamque senem tacitis saeua procul urbe remotum
 occulerat siluis, ipsam sed conscius ausi 280
 nocte dieque pavor fraudataque turbat Erinys.
 non similes iam ferre choros (semel orgia fallunt)
 audet, non patrios furtis accedere saltus,

et fuga diuersas misero quaerenda per artes.
 uisa ratis saeuae defecta laboribus undae, 285
 quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
 solibus et canis urebat luna pruinis.
 huc genitorem altae per opaca silentia noctis
 praecipitem siluis rapit et sic maesta profatur:
 'quam, genitor, patriam, quanta modo linqvis inanis 290
 pube domos! pro dira lues, pro noctis acerbae
 exitium! talin possum te credere puppi,
 care parens? possum tantis retinere periclis?
 soluimus heu serum furti scelus! adnue uotis,
 diua, soporiferas quae nunc trahis aequore bigas. 295
 non populos, non dite solum, non ulla parenti
 regna peto; patria liceat decedere terra.
 quando ego seruato mediam genitore per urbem
 laeta ferar? quando hic lacrimas planctusque uidebo?'
 dixerat. ille procul trunca fugit anxius alno, 300
 Taurorumque locos delubraque saeua Dianae
 aduenit. hic illum tristi, dea, praeficis arae
 ense dato; mora nec terris tibi longa cruentis.
 iam nemus Egeriae, iam te ciet altus ab Alba
 Iuppiter et soli non mitis Aricia regi. 305
 Arcem nata petit, quo iam manus horrida matrum
 congruerat. rauco fremitu sedere parentum
 natorumque locis uacuaeque in moenibus urbis
 iura nouant; donant solio sceptrisque paternis
 ut meritam redeuntque piae sua praemia menti. 310
 Ecce procul ualidis Lemnon tendentia remis
 arma notant; rapitur subito regina tumultu
 conciliumque uocat. non illis obuia tela
 ferre nec infestos derat furor improbus ignes,
 ni Veneris saeuas fregisset Mulciber iras. 315
 tunc etiam uates Phoebos dilecta Polyxo
 (non patriam, non certa genus, sed te, anxia Ceto,
 Proteaque ambiguum Phariis fert rumor ab antris
 huc uexisse suam iunctis super aequora phocis);
 haec imis se condit aquis cunctataque paulum 320

surgit ut auditas referens in gurgite uoces.
 'portum demus' ait, 'haec dextera, credite, puppis
 aduenit et melior Lemno deus aequore flexit
 huc Minyas; Venus ipsa uolens dat corpora iungi,
 dum uires utero maternaque sufficit aetas.' 325
 dicta placent portatque preces ad litora Grais
 Iphinoe; nec turba nocens scelerisque recentis
 signa mouent, tollitque loci Cytherea timorem.

* * *

protinus ingentem procerum sub nomine taurum
 deicit, insuetis et iam pia munera templis 330
 reddit et hac prima Veneris calet ara iuuenca.

Ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris
 fumant saxa iugis coquiturque uaporibus aer.
 substitit Aesonides, adque hic regina precari
 hortatur causasque docens 'haec antra uidetis 335
 Vulcanique' ait 'ecce domos: date uina precesque.

forsitan ob sacrum taceat iam fulmen in antro;
 nox dabit ipsa fidem: clausae tum murmura flammae,
 hospes, et incussae sonitum mirabere massae.'
 moenia tum uiresque loci ueteresque parentum 340
 iactat opes. mediis famulae conuiuia tectis
 expediunt; Tyrio uibrat torus igneus ostro.

stat maerens atauos reges regesque maritos
 Thraessa manus, quaecumque faces timuisse iugales
 credita nec dominae sanctum tetigisse cubile. 345

iam medium Aesonides, iam se regina locauit,
 post alii proceres; sacris dum uincitur extis
 prima fames, circum pateris it Bacchus et omnis
 aula silet; dapibus coeptis mox tempora fallunt
 noctis et in seras durant sermonibus umbras. 350

praecipueque ducis casus mirata requirit
 Hypsipyle, quo fata trahant, quae regis agat uis,
 aut unde Haemoniae molem ratis: unius haeret
 adloquio et blandos paulatim colligit ignes
 iam non dura toris Veneri nec iniqua reuersae. 355

et deus ipse moras spatiumque indulget amori.

Pliada lege poli nimbose mouerat astro

Iuppiter aeternum uoluens opus, et simul undis

cuncta ruunt unoque dei Pangaea sub ictu

Gargaraque et Moesi steterunt formidine luci. 360

saeuior haut alio mortales tempore mentes

terror agit; tunc urget enim, tunc flagitat iras

in populos Astraea Iouem terrisque relictis

inuocat adsiduo Saturnia sidera questu.

insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus 365

intonat Aegaeo tenditque ad litora pontus;

et lunam quarto densam uidet imbribus ortu

Thespiades. longus coeptis et fluctibus arcet

dum metus, usque nouos diuae melioris ad ignis

urbe sedent laeti Minyae uidisque uacantes 370

indulgent thalamis; nimbosque educere luxu

nec iam uelle uias, zephyrosque audire uocantes

dissimulant, donec resides Tirynthius heros

non tulit, ipse rati inuigilans adque integer urbis.

* * *

inuidisse deos tantum maris aequor adortis 375

desertasque domos fraudataque tempore segni

uota patrum. quid et ipse uiris cunctantibus adsit?

'o miseri quicumque tuis accessimus actis!

Phasin et Aeeten Scythicique pericula ponti

redde' ait 'Aesonide: me tecum solus in aequor 380

rerum traxit amor, dum spes mihi sistere montes

Cyaneos uigilemque alium spoliare draconem.

si sedet Aegaei scopulos habitare profundi,

hoc mecum Telamon peraget meus.' haec ubi dicta, 385

haud secus Aesonides monitis accensus amaris,

quam bellator equus, longa quem frigida pace

pergula alit, breuis in flexus piger angitur orbis,

frena tamen dominumque uelit, si Martius aures

clamor et obliti rursus fragor impleat aeris.

tunc Argum Tiphynque uocat pelagoque parari 390

praecipitat; petit ingenti clamore magister
arma uiros pariter sparsosque in litore remos.

Exoritur nouus urbe dolor planctusque per omnes
est facies antiqua domos. sibi moenia linqui
en iterum, et quando natorum tempora, gentem 395
qui recolant, qui scepra gerant? nunc triste nefandae
noctis opus, uidui nunc illa silentia tecti
saeua magis, thalamos excussaue uincla quod ausae
induere atque iterum tales admittere curas.
ipsa quoque Hypsipyle subitos per litora cursus 400
ut uidit totaque uiros decedere Lemno,
ingemit et tali conpellat Iasona questu:
'iamne placet primo deducere uela sereno,
carius o mihi patre caput? modo saeua quierunt
aequora. sic portus fugeret ratis, aspera si te 405
Plias in aduersae tenuisset litore Thraces.
ergo moras caelo cursumque tenentibus undis
debuimus?' dixit lacrimans, haesuraque caro
dona duci promit chlamydem textosque labores.
illic seruati genitoris conscia sacra 410
pressit acu currusque pios: stant saeua pauentum
agmina dantque locum; uiridis circum horrida late
silua tremit; mediis refugit pater anxius undis.
contra et frondosae tractus expresserat Idae
inlustremque fugam pueri; mox aethere laetus 415
adstabat mensis, quin et Iouis armiger ipse
accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro.
tunc ensem notumque ferens insigne Thoantis
'accipe' ait, 'bellis mediaeque ut puluere pugnae
sim comes, Aetnaei genitor quae flammea gessit 420
dona dei, nunc digna tuis adiungier armis.
i, memor i terrae, quae uos amplexa quieto
prima sinu; refer et domitis a Colchidos oris
uela per hunc utero quem linquis Iasona nostro.'
sic ait Haemonii labens in colla mariti. 425
nec minus Orphea tristis ceruice tuaque,
Aeacide, et gemino coniunx a Castore pendet.

Has inter lacrimas legitur piger uncus harenis:
 iam remi rapuere ratem, iam flamina portant;
 spumea subsequitur fugientis semita clauī. 430
 tunc tenuis Lemnos transitque Electria tellus
 Threiciis arcana sacris; hic numinis ingens
 horror et incautis decreta piacula linguis.
 hanc demissa Ioui non umquam laedere fluctu
 audet hiemps: sponte ipse deus tunc asperat undas, 435
 cum uetat infidos sua litora tangere nautas.
 obuius at Minyas terris adytisque sacerdos
 excipit hospitibus reserans secreta Thyotes.
 hactenus in populos uati, Samothraca, diemque
 missa uale, sacrisque metum seruemus opertis. 440
 illi sole nouo laeti plenique deorum
 considunt transtris, iam quas praeuiderat urbes
 nauita condebat, proraeque accesserat Imbros,
 et sol aetherias medius conscenderat arces.
 Thessala Dardaniis tunc primum puppis harenis 445
 adpulit et fatis Sigeo litore sedit.
 desiliunt: pars hinc leuibus candentia uelis
 castra locat; trito pars frangit adorea saxo
 farra; citum strictis alius de cautibus ignem
 obtendit foliis et sulphure pascit amico. 450
 Alcides Telamonque comes dum litora blando
 anfractu sinuosa legunt, uox attigit aures
 flebilis, ut scopulis cum fracta remurmurat unda.
 adtoniti pressere gradum dubiumque secuntur
 uocis iter; iam certa sonat, desertaque durae 455
 uirgo neci quem non hominum superumque uocabat?
 acrius hoc instare uiri succurrere certi;
 qualiter, impleuit gemitu cum taurus acerbo
 auia, frangentem morsu super alta leonem
 terga ferens, coit e sparso concita mapali 460
 agrestum manus et caeco clamore coloni.
 constitit Alcides, uisuque enisus in alta
 rupe truces manicas defectaque uirginis ora
 cernit et ad primos umentia lumina fluctus;

exanimum ueluti multa tandem arte coactum 465
 maeret ebur, Pariusue notas et nomina sumpsit
 cum lapis aut liquidi referunt miranda colores.
 ductor ait: 'quod, uirgo, tibi nomenque genusque,
 quae sors ista, doce. tendunt cur uincula palmas?'
 illa tremens tristique oculos deiecta pudore 470
 'non ego digna malis' inquit; 'suprema parentum
 dona uides, ostro scopulos auroque frequentes.
 nos Ili felix quondam genus, inuida donec
 Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
 principio morbi caeloque exacta sereno 475
 temperies, arsere rogis certantibus agri.
 tum subitus fragor et fluctus Idaea mouentes
 cum stabulis nemora. ecce repens consurgere ponto
 belua, monstrum ingens; hanc tu nec molibus ullis
 nec nostro metire mari. primaeva furenti 480
 huic manus amplexus inter planctusque parentum
 deditur. hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon,
 uirgineam damnare animam sortitaque Lethen
 corpora; crudelis scopulis me destinat urna.
 uerum o iam redeunt Phrygibus si numina tuque 485
 ille ades auguriis promisse et sorte deorum,
 iam cui candentes uotiuo in gramine pascit
 cornipedes genitor, nostrae stata dona salutis,
 adnue meque, precor, defectaque Pergama monstris
 eripe, namque potes. neque enim tam lata uidebam 490
 pectora, Neptunus muros cum iungeret astris,
 nec tales umeros pharetramque gerebat Apollo.'
 auxerat haec locus et facies maestissima uasti
 litoris et tumuli caelumque, quod incubat urbi,
 quale laborantis Nemees iter aut Erymanthi 495
 uidit et infectae miseratus flumina Lernaee.

Dat procul interea signum Neptunus et una
 monstiferi mugire sinus Sigeaque pestis
 adglomerare fretum, cuius stellantia glauca
 lumina nube tremunt, adque ordine curua trisulco 500
 fulmineus quatit ora fragor, pelagoque remenso

cauda redit, passosque sinus rapit ardua ceruix.
 illam incumbentem per mille uolumina pontus
 prosequitur lateri adsultans, trepidisque ruentem
 litoribus sua cogit hiemps. non fluctibus aequis 505
 nubiferi uenit unda Noti, non Africus alto
 tantus ouat patriisque manus cum plenus habenis
 Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
 ecce ducem placitae furiis crudescere pugnae
 surgentemque toris stupet immanemque paratu 510
 Aeacides pulsantque graues ut terga pharetrae.
 ille patrem pelagique deos suaque arma precatus
 insiluit scopulo, motumque e sedibus aequor
 horruit et celsi spatiosa uolumina monstri.
 qualis ubi a gelidi Boreas conuallibus Hebri 515
 tollitur et uolucres Rhiphaea per ardua nubes
 praecipitat (piceo nox tum tenet omnia caelo):
 illa simul molem horrificam scopulosaque terga
 promouet ingentique unda subit; intremere inde
 inlidique uadis pronae atque resurgere puppes. 520
 occupat Alcides arcum totaque pharetrae
 nube premit. non illa magis quam sede mouetur
 magnus Eryx, deferre uelint quem uallibus imbres.
 iam breuis et telo uolucris non utilis aer.
 tum uero fremitus uanique insania coepti 525
 et tacitus pudor et rursus pallescere uirgo:
 proicit arma manu, scopulos uicinaque saxa
 respicit, et quantum uentis adiuta uetustas
 inpulerat pontiue fragor, tantum abscidit imi
 concutiens a sede maris. iamque agmine toto 530
 pistris adest miseraeque inhiat iam proxima praedae.
 stat mediis elatus aquis recipitque ruentem
 Alcides saxoque prior surgentia colla
 obruit; hinc ualidos nodosi roboris ictus
 congeminat. fluctus defertur belua in imos 535
 iam totis resoluta uadis; Idaeaeque mater
 et chorus et summis ulularunt collibus Amnes.
 protinus e scopulis et opaca ualle resurgunt

pastores magnisque petunt clamoribus urbem.
 nuntius hinc socios Telamon uocat, ac simul ipsi 540
 horrescunt subitoque uident in sanguine puppem.
 nec minus in scopulos erudique cacumina saxi
 emicat Alcides uinclisque tenentibus aufert
 uirgineas de rupe manus aptatque superbis
 arma umeris; regem inde petens superabat ouante 545
 litora tuta gradu, qualis per pascua uictor
 ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
 taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta reuisit
 et patrium nemus et bello quos ultus amores.
 Obuia cui contra longis emersa tenebris 550
 turba Phrygum paruumque trahens cum coniuge natum
 Laomedon; iam maestus equos, iam debita posci
 dona gemit. pars aerii fastigia muri
 cingit et ignotis iuuenem mirantur in armis.
 illum torua tuens adque acri lubricus astu 555
 rex subit et patrio fatur male laetus amore:
 'maxime Graiugenum, quem non Sigea petentem
 litora nec nostrae miserantem funera Troiae
 adpulit his fors ipsa locis, si uera parentem
 fama Iouem summique tibi genus esse Tonantis, 560
 noster ades iunctisque uenis; sator unus et idem
 stirpis honos, quamquam longis disiungimur oris.
 quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
 serus ades! quam parua tuis iam gloria factis!
 uerum age nunc socios fraternis moenibus infer; 565
 crastina lux biiuges stabulis ostendet apertis.'
 dixerat haec; tacitosque dolos dirumque uolutat
 corde nefas, clausum ut thalamis somnoque grauatum
 immolet et rapta ludat responsa pharetra:
 namque bis Herculeis deberi Pergama telis 570
 audierat. Priami sed quis iam auertere regnis
 fata queat? manet immotis nox Dorica lustris
 et genus Aeneadum et Troiae melioris honores.
 'nos' ait 'ad Scythici' Tirynthius 'ostia ponti
 raptat iter; mox huc uestras reuehemur ad oras 575

donaque dicta feram.' tum uero plura uocatis
adnuit ille deis. promissa infida tyranni
iam Phryges et miserae flebant discrimina Troiae.

Panditur hinc totis in noctem carbasus alis,
litoraue et ueteris tumulus praelabatur Ili 580
Dardaniusque pater; uigili simul omnia ludo
festa uident; hinc unda sacris hinc ignibus Ide
uibrat et horrisoneae respondent Gargara buxo.
inde ubi iam medii tenuere silentia ponti
stridentesque iuuant aerae, Phrixia subibant 585
aequora et angustas quondam sine nomine fauces.
ecce autem prima uolucrum sub luce dehiscens
terrui unda ratem, uittataque constitit Helle,
iam Panopes Thetidisque soror, iamque aurea laeua
sceptra tenens. tum sternit aquas proceresque ducemque 590
aspicit et placidis compellat Iasona dictis.
'te quoque ab Haemoniis ignota per aequora terris
regna infesta domu fatisque simillima nostris
fata ferunt; iterum Aeolios Fortuna penates
spargit et infelix Scythicum gens quaeritis amnem. 595
uasta super tellus, longum (ne defice coeptis)
aequor, et ipse procul, uerum dabit ostia Phasis.
hic nemus arcanum geminaeque uirentibus aerae
stant tumulis; hic prima pia sollemnia Phrixo
ferte manu cinerique, precor, mea reddite dicta: 600
non ego per Stygiae quod rere silentia ripae,
frater, agor; frustra uacui scrutaris Auerni,
care, uias. neque enim scopulis me et fluctibus actam
frangit hiemps; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucusque manu; pater ipse profundi 605
has etiam sedes, haec numine tradidit aequo
regna nec Inois noster sinus inuidet undis.'
dixerat, et maestos tranquilla sub aequora uultus
cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
tum pelago uina inuergens dux talibus infit: 610
'undarum decus et gentis, Cretheia uirgo,
pande uiam cursuque tuos age, diua, secundo.'

Inmittitque ratem mediasque interuolat urbes
 qua breuibus furit aestus aquis Asiamque prementem
 effugit abruptis Europa inmanior oris. 615
 has etiam terras consertaque gentibus arua
 sic pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
 cuspis et aduersi longus labor abscidit aeuī,
 ut Siculum Libycumque latus, stupuitque fragore
 Taurus et occiduis regnator montibus Atlans. 620
 iam iuga Percotes Pariumque infame fragosis
 exuperant Pityamque uadis, transmissaque puppi
 Lampsacus, Ogygii quam nec trieterica Bacchi
 sacra neque arcanis Phrygius furor inuehit antris,
 sed suus in Venerem raptat deus. illius aras 625
 urbe super celsique uident gestamina templi.
 rarior hinc tellus adque ingens undique caelum
 rursus et incipiens alium prospectus in orbem.
 terra sinu medio Pontum iacet inter et Hellen
 ceu fundo prolata maris; namque inproba caecis 630
 intulit arua uadis longoque per aequora dorso
 litus agit: tenet hinc ueterem confinibus oris
 pars Phrygiam, pars discreti iugā pinea montis.
 nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
 urbs placidis demissa iugis; rex diuitis agri 635
 Cyzicus. Haemoniae qui tum noua signa carinae
 ut uidet, ipse ultro primas procurrit ad undas
 miraturque uiros dextramque amplexus et haerens
 incipit 'o terris nunc primum cognita nostris
 Aemathiae manus et fama mihi maior imago. 640
 non tamen haec adeo semota neque abdita tellus
 nec loca iam populis inperuia lucis euae,
 cum tales intrasse duces, tot robora cerno.
 nam licet hinc saeuas tellus alat horrida gentes
 meque fremens tumido circumfluat ore Propontis, 645
 uestra fides ritusque pares et mitia cultu
 his etiam mihi corda locis; procul efferā uirtus
 Bebrycis et Scythici procul inclementia sacri.
 sic memorat laetosque rapit, simul hospita pandi

tecta iubet templisque sacros largitur honores. 650
stant gemmis auroque tori mensaeque paratu
regifico centumque pares primaeva ministri
corpora; pars epulas manibus, pars aurea gestant
pocula bellorum casus expressa recentum.
adque ea prima duci porgens carchesia Graio 655
Cyzicus 'hic portus' inquit 'mihi territat hostis,
has acies sub nocte refert, haec uersa Pelasgum
terga uides, meus hic ratibus qui pascitur ignis.'
subicit Aesonides 'utinam nunc aura Pelasgos
adferat et solitis temptet concurrere furtis 660
cunctaque se ratibus fundat manus: arma uidebis
hospita nec post hanc ultra tibi proelia noctem.'
sic ait hasque inter uariis nox plurima dictis
rapta uices nec non simili lux postera tractu.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER TERTIUS.

Tertia iam gelidas Tithonia soluerat umbras
exueratque polum; Tiphyn placida alta uocabant.
it tectis Argoa manus, simul urbe profusi
Aenidae caris socium digressibus haerent.
dant Cererem lectumque pecus nec palmite Bacchum 5
Bithyno Phrygioue satum, sed quem sua noto
colle per angustae Lesbos freta suggerit Helles.
ipse agit Aesonidae iunctos ad litora gressus
Cyzicus abscessu lacrimans *oneratque superbis*
muneribus, primas coniunx Percosia uestes 10
quas dederat picto et Clite uariauerat auro.
tum galeam et patriae telum insuperabile dextrae
addidit: ipse ducis phaleras et Thessala contra
frena capit manibusque datis iunxere penates.
Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio, 15
pande uirum; tibi enim superum data, uirgo, facultas
nosse animos rerumque uias. cur talia passus
arma, quid hospitiis iunctas concurrere dextras
Iuppiter? unde tubae nocturnaue mouit Erinys?
Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis 20
dum uolucris quatit asper equo siluasque fatigat
Cyzicus, ingenti praedae deceptus amore
adsuetum Phrygias dominam uectare per urbes
oppressit iaculo redeuntem ad frena leonem.

et tunc ille iubas captiuoque postibus ora 25
 inposuit, spolium infelix diuaeque pudendum.
 quae postquam Haemoniam tantae non inmemor irae
 aerisono de monte ratem praefixaque regum
 scuta uidet, noua monstra uiro, noua funera uoluit,
 ut socias in nocte manus utque impia bella 30
 conserat et saeuis erroribus implicet urbem.
 nox erat et leni canebant aequora sulco,
 et iam prima leues spargebant sidera somnos.
 aura uehit; religant tonsas ueloque Procnesson
 et te iam medio flauentem, Rhundace, ponto 35
 spumosumque legunt fracta Scylaceon ab unda.
 ipse diem longe solisque cubilia Tiphys
 consulit, ipse ratem uento stellisque ministrat.
 at qui illum non ante sopor luctamine tanto
 lenit agens diuum imperiis; cadit inscia clauo 40
 dextera demittitque oculos, solataque puppis
 turbine flectit iter portuque refertur amico.

Ut notis adlapsa uadis, dant aethere longo
 signa tubae, uox et mediis emissa tenebris
 'hostis habet portus, soliti rediere Pelasgi.' 45
 rupta quies; deus ancipitem lymphauerat urbem,
 Mygdoniae Pan iussa ferens saeuissima matris,
 Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas
 antra tenent; latet ad medias per deuia noctes.
 saetigerum latus et toruae coma sibila frontis. 50
 uox omnes super una tubas, qua conus et enses,
 qua trepidis auriga rotis nocturnaue muris
 claustra cadunt; talesque metus non Martia cassis
 Eumenidumque comae, non tristis ab aegide Gorgo
 sparserit aut tacitis aciem raptauerit umbris. 55
 ludus et illa deo, pavidum praesepibus aufert
 cum pecus et profugi sternunt dumeta iuueni.

Ilicet ad regem clamor ruit. exilit altis
 somnia dira toris simulacraque pallida linquens
 Cyzicus. ecce super foribus Bellona reclusis 60
 nuda latus passuque mouens orichalca sonoro

adstitit et triplici pulsans fastigia crista
 hinc ciet aere uirum. sequitur per moenia demens
 ille deam et fatis extrema in proelia tendit;
 qualis in Alciden et Thesea Rhoetus iniqui 65
 nube meri geminam Pholoen maioraque cernens
 antra ruit, qualisque redit uenatibus actis
 lustra pater Triuiamque canens umeroque Learchum
 aduehit, at miserae declinant lumina Thebae.
 iamque adeo nec porta ducem nec pone moratur 70
 excubias sortita manus, quae prima furenti
 aduolat; hinc alii subeunt, ut proxima quaeque
 intremuit domus et motus accepit inanes.

At Minyas anceps fixit pavor; aegra uirorum
 corda labant, nec quae regio aut discrimina cernunt, 75
 cur galeae clipeique micent, num peruigil armis

donec et hasta uolans inmani turbine transtris
 insonuit monuitque ratem rapere obuia caeca
 arma manu. princeps galeam constringit Iason 80
 uociferans 'primam hanc nati, pater, accipe pugnam
 uosque, uiri, optatos huc adfore credite Colchos.'
 Bistonas in medios ceu Martius exilit astris
 currus, ubi ingentes animae clamorque tubaeque
 sanguineum iuuere deum, non segnus ille 85
 occupat arua furens; sequitur uis omnis Achium.
 adglomerant latera, et densis thoracibus horrens
 stat manus, aegisono quam nec fera pectore uirgo
 dispulerit nec dextra Iouis Terrorque Pauorque,
 Martis equi. sic contextis umbonibus urgent, 90
 caeruleo ueluti cum Iuppiter agmine nubem
 constituit; certant zephyri frustra rigentem
 pulsat utrimque notus; pendent mortalia longo
 corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat aruis.

Hinc manus infelix clamore inpellere magno 95
 saxa facesque atras et tortae pondera fundae;
 fert sonitus inmoti phalanx irasque retentant,
 congeries dum prima fluat. stellantia Mopsus

tegmina et ingentem Corythi notat Eurytus umbram.
 restitit ille gradu seseque a lumine ferri 100
 sustinuit praeceps, subitum ceu pastor ad amnem
 spumantem nimbis fluctuque arbusta ruentem.
 et Tydeus 'en intentis quem uiribus' inquit
 'opperiar manibusque dari quem comminus optem;
 quo steteris moriere loco.' subit ilia cuspis 105
 Olenii; dedit ille sonum compressaque mandens
 aequora purpuream singultibus expulit hastam.
 ac uelut in medio rupes latet horrida ponto,
 quam super ignari numquam rexere magistri
 praecipites inpune rates, sic agmine caeco 110
 incurrit strictis manus ensibus. occubat Iron
 et Cotys et Pyrno melior genitore Bienor.
 At magis interea diuerso turbida motu
 urbs agitur. Genyso coniunx amouerat arma;
 ast illi subitus uentis uiuoque reluxit 115
 torre focus; telis gaudes, miserande, repertis.
 linquit et undantes mensas infectaque pernox
 sacra Medon; chlamys inbelli circumuenit ostro
 torta manum strictoque uias praefulgurat ense.
 talis in arma ruit, nec uina dapesque remota 120
 statque loco torus, insomnes mansere ministri.
 inde uagi nec bella modis nec casibus isdem
 conseruere manu et longe iacuere perempti.
 ecce grauem nodis pinguique bitumine quassans
 lampada turbata Phlegyas decurrit ab urbe; 125
 ille leues de more manus aciemque Pelasgum
 per noctem remeasse ratus pulsumque requirens
 saepe sibi uano Thamyrim clamore petebat
 arduus et late fumanti nube coruscus;
 quantus ubi inmenso prospexit ab aethere Typhon 130
 igne simul uentisque rubens, quem Iuppiter alte
 crine tenet; trepidant diro sub lumine puppes.
 tollitur hinc tentoque ruit Tirynthius arcu
 pectore certa regens aduersae spicula flammae
 per piceos accensa globos, et pectus harundo 135

per medium contenta fugit; ruit ille comantem
 ore facem supra maiorque apparuit ignis.
 Ambrosium Peleus, ingentem Ancaeus Echeclum
 sternit et elatae propius succedere dextrae
 Telecoonta sinit duplicataque ora securi 140
 dissecuit ceruice tenus. simul aspera uictor
 cingula sublustri uibrantia detrahit umbra.
 'has, precor, exuias et opima cadauere' Nestor
 'linquite' ait: 'ferro potius mihi dextera, ferro
 nauet opus,' presumque manu detruncat Amastrum 145
 diuersasque simul socios inuadere turmas
 admonuit. pergunt rupta testudine fusi,
 qua tenebrae campique ferunt. grauis inuenit Ochum
 Phlias et trepido Pollux inpingitur Hebro.
 ipse super uultus taboque natantia terga 150
 dux campi Martisque potens ut caeca profundo
 currit hiemps, Zelyn et Broten Abarimque relinquit
 semineces; Glaucum sequitur Glaucumque ruentem
 occupat et iugulo uulnus molitur aperto.
 ille manu contra telum tenet ultima frustra 155
 uerba ciens, fixamque uidet decrescere cornum.
 hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
 Protin et insignem cithara cantuque fluenti
 Dorcea, qui dulci festis adsistere mensis
 pectine Bistoniae magnum post ausus alumnum. 160
 nec pharetram aut acres ultra Tirynthius arcus
 exercet, socia sed disicit agmina claua.
 ac ueluti magna iuuenum cum densa securi
 silua labat cuneisque gemit graue robur adactis
 iamque abies piceaeque ruunt: sic dura sub ictu 165
 ossa uirum malaeque sonant sparsusque cerebro
 albet ager. leuis ante pedes subsederat Admon;
 occupat os barbamque uiri clauamque superne
 intonat. 'occumbens en duc' ait 'Herculis armis
 donum ingens semperque tuis memorabile fatis.' 170
 horruit ille cadens nomenque agnouit amicum
 primus et ignaris dirum scelus attulit umbris.

nec tibi Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
 hospitiis aut mente moras fouisse benigna
 et laribus sacrasse fidem; procul aduenit Idmon 175
 oblatumque ferit galeam cristasque rubentes,
 heu tua dona, gerens. quem te qualemque uidebit
 attonitus, Crenaeae, parens! en frigidus orbes
 purpureos iam somnus obit, iam candor et anni
 deficiunt uitaeque fugit decus omne soluta: 180
 deseris heu nemus et Nympharum, durus, amores!
 at diuersa^s Sagen turbantem fallere neruo
 tum primum puer ausus Hylas (spes maxima bellis
 pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Iuno),
 prostrauitque uirum celeri per pectora telo. 185
 Accessere (nefas) tenebris fallacibus acti
 Tyndaridae in sese: Castor prius ibat in ictus
 nescius; ast illos noua lux subitusque diremit
 frontis apex. tum Castor Ityn, qua caerulus ambit
 balteus et gemini committunt ora dracones, 190
 frater Hagen Thapsumque securigerumque Nealcen
 transigit et Canthi pallentem uulnere Cydrum.
 torserat hic totis conisus uiribus hastam
 uenatori Erymo, breuis hanc sed fata ferentem
 prodidit et piceo comitem miserata refulsit 195
 Luna polo; cessere iubae raptumque per auras
 uulnus et extrema sonuit cita cuspidis cassis.
 Nisaeum Telamon et Ophelten uana sonantem
 per clipei cedentis opus cratemque trilicem,
 qua stomachi secreta, ferit laetusque profatur: 200
 'di, precor, hunc regem aut aequae delegerit alta
 fors mihi gente satum, magnusque et flebilis urbi
 conciderit.' super addit Aren fratremque Melanthum
 Phoceaue Oleniden, Lelegum qui pulsus ab oris
 regis amicitiam et famuli propioris honores 205
 (qua patiens non arte?) tulit. nox alta cadentum
 ingentes duplicat sonitus augetque ruinas.
 ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
 Vesuius, attonitas acer cum suscitatur urbes,

sic pugnae crudescit opus; neque enim ignea cedunt 210
 astra loco, lentis haeret nox conscia bigis.
 perge age. Tartareae mecum simul omnia noctis,
 Musa, sequi. trepidam Phaeton adflavit ab alto
 Tisiphonen grauiorque locos iam luce propinqua
 umbra premit; non signa uirum, non funera cernunt, 215
 et rabie magis ora calent. uos prodite, diuae,
 Eumenidum noctisque globos, uatique patescat
 armorum fragor et tepidi singultibus agri
 labentum adque acti Minyis per litora manes.
 Cyzicus hic aciem uanis discursibus implet 220
 fata trahens; iam pulsa sibi cessisse Pelasgum
 agmina, iam passim uacuos disiecta per agros
 credit ouans; tales ausus, ea gaudia fingit
 ira deum. fundo ueluti cum Coeus in imo
 uincla Iouis fractoque trahens adamante catenas 225
 Saturnum Tityumque uocat spemque aetheris amens
 concipit, ast illum fluuiis et nocte remersit
 Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae.
 saeuit acerba fremens tardumque a moenibus agmen
 increpitat: 'numquamne dolor uirtusque subibit 230
 nil ausas sine rege manus? at barbara buxus
 si uocet et motis ulutantia Dindyma sacris,
 tunc ensis placet atque furor, modo tela sacerdos
 porrigat et iussa sanguis exuberet ulna.'
 talibus insultans iamdudum numine diuae 235
 deficit; infracti languescunt frigore cursus;
 corda pauent; audit fremitus irasque leonum
 cornuaque et motas uidet inter nubila turres.
 tunc grauis et certo tendens stridore per umbram
 Aesonii uenit hasta ducis latumque sub imo 240
 pectore rumpit iter. quam nunc incognita uellet
 lustra sibi nullosque datos uenatibus annos?
 talia magnanimi diuerso turbine fundunt
 tela uiri, sonitusque pedum suspectaque motu
 explorant; prensant socios uocemque reposcunt. 245
 quod si tanta lues seros durasset in ortus,

extinctum genus et solas per moenia matres
uidisset stratamque dies in litore gentem.

Tum pater omnipotens tempus iam rege perempto
flectere fata ratus miserasque abrumpere pugnas, 250
supremam celerauit opem nutuque sereno
intonuit, quem Nocte satae, quem turbidus horret
armipotens. tunc porta trucis coit infera leti.
continuo dant terga metu uersique per agros
diffugiunt, quae sola salus: nec terga ruentum 255
mens Minyis conuersa sequi; stetit anxia uirtus.
ecce leui primos iam spargere lumine portus
orta dies notaeque (nefas) albescere turre.
'di maris' attonito conclamat ab agmine Tiphys
'ut mea fatali damnastis pectora somno! 260
heu socii quantis conplerunt litora monstris!
illi autem neque adhuc gemitus neque conscia facti
ora leuant; tenet exangues rigor horridus artus;
ceu pauet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi impulsae iam se deus agmine matris 265
abstulit et caesi uanescunt cornua tauri.
nec minus effusi grandaeuum ad litora uulgus,
ut socias uidere manus, dare uersa retrorsus
terga metu. dextram tendens proclamat Iason
'quos fugitis? uellem hac equidem me strage meosque 270
procubuisse magis. deus haec, deus asper utrisque
implicuit. sumus heu Minyae, sumus hospita turba.
cur etiam flammis miserisque moramur honores?'
Tum super exangues confertae caedis acruos
praecipiti plangore ruunt; agnoscit in alta 275
strage uirum sua texta parens, sua munera coniunx.
it gemitus toto sinuosa per aequora caelo.
pars tenuis flatus et adhuc stridentia prensant
uolnera, pars sera componunt lumina dextra.
at uero in mediis exangui rege reperto 280
aggeribus, tristi sileant ceu cetera planctu,
sic famulum matrumque dolor, sic omnis ad unum
uersa manus. circa lacrimis ac mentibus aegri

stant Minyae deflentque nefas et cuspidis ictus
 Haemoniae sortemque ducis solantur acerbam. 285
 ille ubi concretos pingui iam sanguine crines
 pallentesque genas infractaque pectore caro
 tela neque hesternos agnouit in hospite uultus,
 ingemit atque artus fatur complexus amicos:
 'te tamen ignarum tanti, miserande, furoris 290
 nox habet et nullo testantem foedera questu:
 at mihi luctificum uenit iubar. heu quibus adsum
 conloquiis? cui me hospitio Fortuna reuexit?
 extinguite mea (fatis id defuit unum)
 speraui te posse manu? talisne reliqui 295
 has ego, amice, domos? quod si iam bella manebant
 et placitum hoc superis, nonne haec mea iustius essent
 funera meque tuus nunc plangeret a! malus error?
 nec Clarii nunc antra dei quercusque tonantis
 arguerim. talesne acies, talesne triumphos 300
 sorte dabant? tantumque nefas mens conscia uatum
 conticuit, patriae exitium crudele senectae
 et tot acerba canens! heu diuis uisa sinistris
 regna mihi! quinam reditus? quae me hospita tellus
 accipiet? quae non primis prohibebit harenis? 305
 inuidere dei, ne Phasidis arua remoti
 et Scythicas populatus opes haec rursus adirem
 litora, neue tuos irem tunc ultor in hostes.
 fas tamen est conferre genas, fas iungere tecum
 pectora et exangues miscere amplexibus artus. 310
 uos age funereas ad litora uoluite siluas
 et socios lustrate rogos; date debita caesis
 munera, quae nostro misisset Cyzicus igni.'
 Parte alia Clite laceras super ora mariti
 fusa comas misera in planctus uocat agmina matrum 315
 fatur et haec: 'primis coniunx ereptus in annis
 cuncta trahis; necdum suboles nec gaudia de te
 ulla mihi, quis maesta tuos nunc, optime, casus
 perpeterer tenui luctum solamine fallens.
 Mygdonis arma patrem funestaque proelia nuper 320

natales rapuere domos, Triuiaequae potentis
 occidit arcana genetrix absumpta sagitta:
 tu, mihi qui coniunx pariter fraterque parensque
 solus et a prima fueras spes una iuuenta,
 deseris heu, totamque deus simul inpulit urbem! 325
 ast ego non media te saltem, Cyzice, uidi
 tendentem mihi morte manus aut ulla monentis
 uerba tuli; quin et thalamis modo questa morari,
 heu talem tantique metus secura recepi.
 illam uix gemino maerens cum Castore Pollux 330
 erigit haerentem compressaque colla trahentem.
 Interea innumeras nudatis montibus urgent
 certatim decorantque pyras et corpora maesti
 summa locant; uadit sonipes ceruice remissa
 uenatrix nec turba canum pecudesque morantur 335
 funerae: fert cuique manus, quae cura suorum,
 quae fortuna fuit. medio rex aggere longe
 eminent; hunc crebris quatiens singultibus ora
 adleuat Aesonides celsoque reponit in ostro.
 dat pictas auro adque ardentis murice uestes, 340
 quas rapuit telis festina uocantibus austris
 Hypsipyle; galeam dilectaque cingula regi
 inicit; ille suam uultus conuersus ad urbem
 sceptrum manu ueterum retinet gestamen auorum.
 nam quia nec proles alius nec denique sanguis, 345
 ipse decus regnique refert insigne parenti.
 inde ter armatos Minyis referentibus orbem
 concussi tremuere rogi, ter inhorruit aether
 luctificum clangente tuba; iecere supremo
 tum clamore faces; regum labor omnis in auras 350
 soluitur et celsis conlucent aequora flammis.
 scilicet haec illo iuuenem populosque manebant
 tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor;
 hoc uolucrumque minae praesagaque fulmina longo
 acta mari tulerant. sed quis non prima repellat 355
 monstra deum longosque sibi non auguret annos?
 iamque solutus honos cineri, iam passibus aegris

dilapsae cum prole nurus, tandemque quiescunt
 dissona peruigili planctu uada, qualiter arctos
 ad patrias auibus medio iam uere reuectis 360
 Memphis et aprici statio silet annua Nili.

At non inde dies nec quae magis aspera curis
 nox Minyas tanta caesorum ab imagine soluit.
 bis zephyri iam uela uocant, fiducia maestis
 nulla uiris; aegra adsiduo mens carpitur aestu, 365
 necdum omnes lacrimas adque omnia reddita caesis
 iusta putant; patria ex oculis acerque laborum
 pulsus amor segnique iuuat frigescere luctu.

ipse etiam Aesonides, quamquam tristissima rerum
 castiganda duci uultuque premenda sereno, 370
 dulcibus indulget lacrimis aperitque dolorem.

tum secreta trahens Phoebum ad litora Mopsum
 'quaenam' ait 'ista lues, aut quae sententia diuum?
 decretusne uenit fato pauor? an sibi nectunt
 corda moras? cur immemores famaеque larisque 375
 angimur? aut pariet quemnam haec ignauia finem?'

'Dicam' ait 'ac penitus causas labemque docebo'
 Mopsus, et astra tuens 'non si mortalia membra
 sortitusque breues et parui tempora fati
 perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi, 380
 fas ideo miscere neces ferroque morantes
 exigere hinc animas redituraque semina caelo.

quippe nec in uentos nec in ultima soluimur ossa;
 ira manet duratque dolor. cum deinde tremendi
 ad solium uenere Iouis questuque nefandam 385
 edocuere necem, patet ollis ianua leti

adque iterum remeare licet; comes una sororum
 additur et pariter terras atque aequora lustrant.
 quisque suis sontes inimicaque pectora poenis
 implicat et uaria meritos formidine pulsant. 390

at quibus inuito maduerunt sanguine dextrae,
 si fors saeua tulit miseros, sed proxima culpaе,
 hos uariis mens ipsa modis agit et sua carpunt
 facta uiros: resides et iam nil amplius ausi

in lacrimas humilesque metus aegramque fatiscunt 395
 segnitiam, quos ecce uides. sed nostra requiret
 cura uiam. memori iam pridem cognita uati
 est procul ad Stygiae deuexa silentia noctis
 Cimmerium domus et superis incognita tellus,
 caeruleo tenebrosa situ, quo flammea numquam 400
 Sol iuga sidereos nec mittit Iuppiter annos.
 stant tacitae frondes immotaque silua comanti
 horret uerna iugo; specus umbrarumque meatus
 subter et Oceani praeceps fragor aruaque nigro
 uasta metu et subitae post longa silentia uoces. 405
 ensifer hic atraque sedens in ueste Celaeneus
 insontes errore luit culpamque remittens
 carmina turbatos uoluit placantia manes.
 ille mihi quae danda forent lustramina caesis
 prodidit, ille uolens Erebum terrasque retexit. 410
 ergo ubi puniceas oriens accenderit undas,
 tu socios adhibe sacris armentaque magnis
 bina deis; me iam coetus accedere uestros
 haut fas interea, donec lustralia pernox
 uota fero. mouet en gelidos Latonia currus. 415
 flecte gradum, placidis sileant age litora coeptis.
 Iamque sopor mediis tellurem presserat horis
 et circum tacito uolitabant somnia mundo,
 cum uigil arcani speculatus tempora sacri
 Ampycides petit auersis Aesepia siluis 420
 flumina et aequoreas pariter decurrit ad undas.
 hic sale purpureo uiuaque nitentia lympa
 membra nouat seque horrificis accommodat actis.
 tempora tum uittis et supplice castus oliua
 implicat et stricto designat litora ferro: 425
 circum humiles aras ignotaque nomina diuum
 instituit siluaque super contristat opaca.
 utque metum numenque loco sacramque quietem
 addidit, ardenti nitidum iubar euocat alto.
 Adque Argoa manus uariis insignis in armis 430
 ibat agens lectas aurata fronte bidentes.

Delius hic longe candenti ueste sacerdos
 occurrit ramoque uocat: iamque ipse recenti
 stat tumulo placida transmittens agmina lauro:
 ducit et ad fluuios ac uincula soluere monstrat 485
 prima pedum glaucasque comis praetexere frondes
 imperat, hinc alte Phoebi surgentis ad orbem
 ferre manus totosque simul procumbere campis.
 tunc piceae mactantur oues, prosectaque partim
 tergora, per medios partim gerit obuius Idmon. 440
 ter tacitos egere gradus, ter tristia tangens
 arma simul uestesque uirum lustramina ponto
 pone iacit; rapidis adolentur cetera flammis.
 quin etiam truncas, numerum effigiesque uirorum,
 rite locat quercus simulataque subligat arma. 445
 huc Stygias transire minas iramque seueri
 sanguinis, his orat uigiles incumbere curas,
 adque ita lustrifico cantu uocat: 'ite perempti
 ac memores abolete animas; sint otia uobis,
 sit Stygiae iam sedis amor; procul agmine nostro 450
 et procul este mari cunctisque absistite bellis.
 uos ego nec Graias umquam contendere ad urbes
 nec triuiis ululare uelim, pecorique satisque
 nullae ideo pestes nec luctifer ingruat annus,
 nec populi nostrive luant ea facta minores.' 455
 dixerat, et summas frondentibus intulit aris
 libauitque dapes, placidi quas protinus angues,
 umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.
 Continuo puppem petere et considerare transtris
 imperat Ampycides nec uisum uertere terrae: 460
 exciderint quae gesta manu, quae debita fatis.
 illi alacres pars arma locant, pars ardua celsis
 insternunt tabulata toris oriturque trementum
 remorum sonus et laetae concordia uocis.
 Iuppiter urgentem ceu summa Ceraunia nubem 465
 cum pepulit mouitque iugis, fulsere repente
 et maria et scopuli nitidusque reducit aether:
 sic animi rediere uiris, iamque ipse magister

nutat ab arce ratis remisque obsistere tentat.
 instaurant primi certamina liber amictu 470
 Eurytus et dictis Talai non territus Idas;
 inde alii increpitant adque aequora pectore tollunt.
 par gemitu pulsuque fragor, uersumque uicissim
 mittitur in puppem retro mare. laetus et ipse
 Alcides 'quisnam hos uocat in certamina fluctus?' 475
 dixit, et intortis adsurgens arduus undis
 percussit subito deceptum fragmine pectus,
 adque in terga ruens Talaum fortemque Eriboten
 et longe tantae securum Amphionæ molis
 obruit inque tuo posuit caput, Iphite, transtro. 480
 Iam summas caeli Phoebus ardentior arces
 uicerat et longas medius reuocauerat umbras.
 tardior hinc cessante euro quae proxima Tiphys
 litora quosque dabat densa trabe Mysia montes
 aduehitur. petit excelsas Tirynthius ornos; 485
 haeret Hylas lateri passusque moratur iniquos.
 Illum ubi Iuno poli summo de uertice puppem
 deseruisse uidet, tempus rata diua nocendi
 Pallada consortem curis cursusque regentem,
 nequa inde inceptis fieret mora, fallere prima 490
 molitur caroque dolis auertere fratri.
 tum sic adloquitur: 'procerum ui pulsus iniqua
 germanique manu (repetis, quo crimine) Perses
 barbaricas iam mouit opes Hyrcanaque signa;
 Aetes contra thalamis et uirgine pacta 495
 conciliat reges Scythicos, primusque coacta
 aduehit Albana Styris gener agmina porta.
 bellum ingens, adque ipse citis Graduius habenis
 fundit equos. uiden Arctoo de cardine quanta
 tollat se nubes adque aethere pendeat atro? 500
 corripe prima uias; finem cum Phasidis alti
 transierit Perses aciemque admouerit urbi,
 coepta refer paulumque moras et foedera necte
 consiliis adque arte tua. sponde adfore reges
 dis genitos, quis arma uolens, quis agmina iungat.' 505

at uirgo, quamquam insidias astusque nouercae
sentiat et blandos quaerentem fingere uultus,
obsequitur tamen et iussas petit ocuis oras.

Ingemuit Iuno tandemque silentia rumpit:
‘en labor, en odiis caput insuperabile nostris, 510
quam Nemeen tot fessa minis, quae flumina Lerna
experiar? Phrygiis ultro concurrere monstris
nempe uirum et pulchro reserantem Pergama coepto
uidimus. en ego nunc regum soror? et mihi gentis
ullus honos? iam tum indecores iustaeque dolorum 515
primitiae, ut tenero superati protinus angues.
debuerim nullos iuueni iam quaerere casus
uicta nec ad tales forsā descendere pugnas:
uerum animis insiste tuis astumque per omnem
tende pudor; mox et Furias Ditemque mouebo.’ 520
haec ait et pariter laeui iuga pinea montis
respicit ac pulchro uenantes agmine Nymphas,
undarum nemorumque decus. leuis omnibus arcus
et manicae uirides stricta et corytus habena,
summo palla genu, tenui uagus innatat unda 525
crinis ad obscurae decurrens cingula mammae.
ipsa citatarum tellus pede pulsa sororum
personat et teneris summittit gramina plantis.
e quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
cum fugerent iam tela ferae, processerat ultra 530
turbatum uisura nemus, fontemque petebat
rursus et attonitos referebat ab Hercule uultus.
hanc delapsa polo piceaeque adclinis opacae
Iuno uocat prensaue manu sic blanda profatur:
‘quem tibi coniugio tot dedignata dicaui 535
Nympha procos, en Haemonia puer adpulit alno,
carus Hylas, saltusque tuos montesque pererrat.
uidisti roseis haec per loca Bacchus habenis
cum domitas acies et Eoi fercula regni
duceret ac rursus thiasos et sacra moueret; 540
hunc tibi uel posito uenantem pectine Phoebum
crede dari. quae spes Nymphis aufertur Achaeis!

praereptum quanto proles Boebeia questu
 audiet et flauī quam tristis nata Lycormae?
 sic ait et celerem frondosa per auia ceruum 545
 suscitāt ac iuueni sublimem cornibus offert.
 ille animos tardusque fugae longumque resistens
 sollicitat suadetque pari contendere cursu.
 credit Hylas praedaeque ferox ardore propinquae
 insequitur; simul Alcides hortatibus urget 550
 prospiciens: iamque ex oculis aufertur uterque,
 cum puerum instantem quadripes fessaque minantem
 tela manu procul ad nitidi spiracula fontis
 ducit et intactas leuis ipse superfugit undas.
 hoc pueri spes lusa modo est nec tendere certat 555
 amplius; utque artus et concita pectora sudor
 diluerat, gratos auidus procumbit ad amnes.
 stagna uaga quasi luce micant, ubi Cynthia caelo
 prospicit aut medii transit rota candida Phoebi:
 tale iubar diffundit aquis; nil unda comaeque 560
 turbauitque sonus surgentis ad oscula Nymphae.
 illa auidas iniecta manus heu sera cientem
 auxilia et magni referentem nomen amici
 detrahit; adiutae prono nam pondere uires.
 Iam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos 565
 depulerat magnoque iugi stridore reuulsas
 terga super fului porrexerat horrida monstri
 litora curua petens; alio nam calle reuersum
 credit Hylan captaque dapes auxisse ferina.
 sed neque aput socios structasque in litore mensas 570
 unanimum uidet aeger Hylan nec longius acrem
 intendens aciem. uarios hinc excitat aestus
 nube mali percussus amor, quibus haeserit oris,
 quis tales inpune moras casusue laborue
 attulerit; densam interea descendere noctem 575
 iam maiore metu; tum uero et pallor et amens
 cum piceo sudore rigor. ceu pectora nautis
 congelat hiberni uultus Iouis agricolisue,
 cum coit umbra minax, comitis sic adficit error

Alciden saeuaeque monet meminisse nouercae. 580
 continuo, uolucris ceu pectora tactus asilo
 emicuit Calabris taurus per confraga saeptis
 obuia quaeque ruens, tali se concitat ardens
 in iuga senta fuga: pauet omnis conscia late
 silua, pauent montes, luctu succensus acerbo 585
 quid struat Alcides tantaque quid apparet ira.
 ille, uelut refugi quem contigit improba Mauri
 lancea sanguineus uasto leo murmure fertur
 frangit et absentem uacuis sub dentibus hostem,
 sic furiis accensa gerens Tirynthius ora 590
 fertur et intento discurrit montibus arcu.
 heu miserae quibus ille ferae, quibus incidit usquam
 immeritis per lustra uiri! uolat ordine nullo
 cuncta petens; nunc ad ripas deiectaque saxis
 flumina, nunc totas nemorum procurrit ad umbras. 595
 rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamatione
 auiam; responsant siluae et uaga certat imago.
 At sociis immota fides austrisque secundis
 certa; mora est nec paruus Hylas, quamquam omnibus aequae
 grata rudimenta: Herculeo sub nomine pendent. 600
 illum omnes lacrimis maestisque reuocare uotis,
 incertique metu nunc longas litore uoces
 spargere nunc seris ostendere noctibus ignes,
 ipse uel excelsi cum densa silentia montis
 strata uel oblatis ductor uidet aequora uentis 605
 stat lacrimans magnoque uiri cunctatur amore.
 illius incessus habilemque ad terga pharetram,
 illum inter proceres maestaeque silentia mensae
 quaerit inops quondam ingenti comprehensa trahentem
 uina manu et durae referentem monstra nouercae. 610
 Nec minus interea crudelis Iapyga Iuno
 adsidue mouet et primis cum solibus offert.
 iamque morae inpatiens cunctantes increpat orsis
 Tiphys et oblato monet otia rumpere cursu.
 ergo animum flexus dictis instantis Iason 615
 concedit sociosque simul sic fatur ad omnes:

'o utinam, Scythicis struerem cum funera terris,
 uox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes,
 agmine de tanto socium qui maximus armis
 adforet, hunc Iouis imperiis fatoque teneri 620
 ante procellosum scopulis errantibus aequor.
 haec tum fama; uiri nec certior extitit auctor.
 uerum agite et, dubiis uariant quia pectora curis,
 consulite et, motis seu uos uia flatibus urget,
 pergite et inceptos mecum reuocate labores; 625
 seu pluris tolerare moras rursusque propinquis
 quaesiuisse iugis, pretium haut leue temporis acti.
 dixerat; at studiis iamdudum erecta iuuentus
 orat inire uias; unum tanto afore coetu,
 nec minus in sese generis dextrasque potentes 630
 esse ferunt. tali mentem pars maxima flatu
 erigit et uana gliscunt praecordia lingua:
 saltibus ut mediis tum demum laeta reducit
 cerua gregem, tum gestit aper reboatque superbis
 comminus ursa lupis, cum sese Martia tigris 635
 abstulit aut curuo tacitus leo condidit antro.
 at pius ingenti Telamon iam fluctuat ira
 cum fremitu, saeuisque serens iam iurgia dictis
 insequitur magnoque inplorat numina questu.
 idem orans prensatque uiros demissaque supplex 640
 haeret ad ora ducis, nil se super Hercule fari,
 sed socio quocumque, ferat quamquam aspera fama
 iam loca iamque feras per barbara litora gentes,
 non alium contra Alciden, non pectora tanta
 posse dari. rursum instimulat ducitque fauentes 645
 magnanimus Calydone satus, pro moribus ille
 deteriora fouens semperque inuersa tueri
 durus et haud ullis umquam superabilis aequis
 rectorumue memor. 'non Herculis' inquit 'adempti,
 sed tuus in seros haec nostra silentia questus 650
 traxit honor, dum iura dares, dum tempora fandi.
 septimus hic celsis descendit montibus auster
 iamque ratem Scythicis forsan statuisset in oris;

nos patriae immemores, maneant ceu nulla reuectos
 gaudia, sed duro saeuae sub rege Mycenae, 655
 ad medium cunctamur iter. si finibus ullis
 has tolerare moras et inania tempora possem,
 regna hodie et dulcem sceptris Calydonia tenerem
 laetus opum pacisque meae, tutusque manerem
 quis genitor materque locis. quid deside terra 660
 haeremus? uacuos cur lassant aequora uisus?
 tu comitem Alciden ad Phasidis amplius arua
 adfore, tu socias ultra tibi rere pharetras?
 non ea pax odiis oblitaue numine fesso
 Iuno sui. noua Tartareo fors semine monstra 665
 atque iterum Inachiis iam nuntius urget ab Argis.
 non datur haec magni proles Iouis; at tibi Pollux
 stirpe pares Castorque manent, at cetera diuum
 progenies, nec parua mihi fiducia gentis.
 en ego eo quocumque uoles; quaqua agmina ferro 670
 rupta metam; tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
 sanguine erit, iamque hinc operum quae maxima posco.
 scilicet in solis profugi stetit Hercules armis
 nostra salus. nempe ora aequae mortalia cuncti
 ecce gerunt; ibunt aequo nempe ordine remi. 675
 ille uel insano iamdudum turbidus aestu
 uel parta iam laude tumens consortia famae
 despicit ac nostri ferri comes abnuit actis.
 uos, quibus et uirtus et spes in limine primo,
 tendite, dum rerum patiens calor et rude membris 680
 robur inest; nec enim solum dare funera Colchis
 sit satis et tota pelagus lustrasse iuuenta.
 spes mihi quae tali potuit longissima casu
 esse fuit; quiscumque uirum perquirere siluis
 egit amor; loca uociferans non ulla reliqui. 685
 nunc quoque, dum uario nutat sententia motu,
 cernere deuexis redeuntem montibus opto.
 sat lacrimis comitique datum, quem sortibus aevi
 crede uel in mediae raptum tibi sanguine pugnae.
 Talibus Oenides urget: simul incita dictis 690

heroum manus. ante omnes Argoa iubebat
uincla rapi Calais. furias miratur ouantum
Aeacides, multusque uiri cunctantia corda
fert dolor, an sese comitem tam tristibus actis
abneget et celsi maerens petat ardua montis. 695

non tamen et gemitus et inanes desinit iras
fundere. 'quis terris pro Iuppiter' inquit 'Achaeis
iste dies! saeui capient quae gaudia Colchi!
non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
litore cum patrio, iam uela prementibus austris, 700
cunctus ad Alciden uersus fauor: ipse iuuaret,
ipse ducis curas meritosque subiret honores.

iamne animis, iam gente pares, adque inclita iuxta
dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus?
nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles? 705
aspera nunc pauidos contra ruit agna leones?
hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
quae neque iam frondes uirides nec proferet umbras,
ut semel est euulsa iugis ac matre premissa
fida ministeria et duras obit horrida pugnas, 710
testor et hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
saepe metu, saepe in tenui discrimine rerum
Herculeas iam serus opes spretique uocabis
arma uiri, nec nos tumida haec tum dicta iuuabunt.'

Talibus Aeacides socios terroribus urgens 715
inlacrimat multaque comas deformat harena.

fata trahunt, raptusque uirum certamine ductor
ibat et optenta mulcebat lumina palla.
hic uero ingenti repetuntur pectora luctu,
ut socii sedere locis nullaeque leonis 720
exuuias tantique uacant uestigia transtri.

flet pius Aeacides, maerent Poeantia corda,
ingemit et dulci frater cum Castore Pollux.
omnis adhuc uocat Alciden fugiente carina,
omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto. 725

Dat procul interea toto pater aequore signum
Phorcys et inmanes intorto murice phocas

contrahit antra petens; simul et Massylus et una
 Lyctius et Calabris redit armentarius aruis.
 ilicet extremi nox litore Solis Hiberas 730
 condidit alta domos et sidera sustulit axis.
 flamina conticuere, iacet cum fluctibus aequor.
 Amphitryoniades nec quae noua lustra requirat,
 nec quo temptet iter, comitis nec fata parenti
 quae referat, uidet, aut socios qua mente reuisat. 735
 urit amor, solumque negat decedere siluis.
 non aliter gemitu quondam lea prolis ademptae
 aegra redit; sedet inde uiis inclusaque longo
 peruigilant castella metu; dolor adtrahit orbis
 interea et misero manat iuba sordida luctu. 740

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER QUARTUS.

Atque ea non oculis diuum pater amplius aequis
sustinuit, natiq̄ue pios miseratus amores
Iunonem ardenti trepidam grauis increpat ira:
'ut noua nunc tacito se pectore gaudia tollunt!
haeret inops solisque furit Tirynthius oris.
at comite immemores Minyae facilesque relicto 5
alta tenent. sic Iuno ducem fouet anxia curis
Aesonium, sic arma uiro sociosque ministrat?
iam quibus incertam bellis Scythicaeque pauentem
gentis opes, quanta trepidam formidine cernam! 10
tum precibus, tum me lacrimis et supplice dextra
adtemptare ueto; rerum mihi firma potestas.
I, Furias Veneremque moue; dabit impia poenas
uirgo nec Aeetae gemitus patiemur inultos.'
dixit et arcano redolentem nectare rorem, 15
quem penes alta quies liquidique potentia somni,
detulit inque uagi libauit tempora nati.
ille graues oculos et Hylan resonantia semper
ora premens, ut nulla deum superare potestas,
procumbit. tandem fessis pax reddita siluis, 20
fluminaque et uacuis auditae montibus aerae.
Ecce puer summa se tollere uisus ab unda
frondibus in croceis, inimicae munere Nymphae,
stansque super carum talis caput edere uoces:
'quid, pater, in uanos absumis tempora questus? 25

hoc nemus, haec sedes mihi iam domus, improba quo me
 Nympha rapit saeuae monitu Iunonis; in arces
 nunc Iouis accessus et iam mihi numina caeli
 conciliat iungitque toros et frontis honores.
 o dolor! o dulces quas gessimus ante pharetrae! 30
 iam socii laetis rapuerunt uincula uentis,
 hortator postquam furiis et uoce nefanda
 inpulit Oenides. uerum cum gente domoque
 ista luet saeuaeque aderunt tua numina matri.
 surge age et in duris haut umquam defice; caelo 35
 mox aderis teque astra ferent; tu semper amoris
 sis memor et cari comitis ne abscedat imago.
 talibus orantem dictis uisusque fruentem
 ille ultro petit et uacuis amplexibus instat
 languentisque mouet frustra conamina dextrae: 40
 corpus hebet somno refugaque eluditur umbra.
 tum lacrimis, tum uoce sequi, tum rumpere questus;
 cum sopor et uano spes maesta resoluitur actu.
 fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
 cum rapit halcyones miserae fetumque laremque, 45
 it super aegra parens queriturque tumentibus undis
 certa sequi, quocumque ferant, audetque pauetque,
 uicta fatiscit aquis donec domus haustaque fluctu est;
 illa dolens uocem dedit et se sustulit alis.
 haut aliter somni maestus labor. exilit amens 50
 effusisque genas lacrimis rigat. 'ibimus' inquit,
 'solus et hos montes desertaque lustra tenebis,
 care puer, nec res ultra mirabere nostras?'
 haec fatus relegitque uias et uallibus exit
 incertus, quid Iuno ferat, quas apparet iras. 55
 nec minus et socios cernit procul aequore ferri
 praecipites tacitumque pudet potuisse relinqui.
 Iamque iter ad Teucros adque hospita moenia Troiae
 flexerat Iliaci repetens promissa tyranni;
 cum maesto Latona simul Dianaque uultu 60
 ante Iouem stetit et supplex sic fatur Apollo:
 'in quem alium Alciden, in quae iam tempora differs

Caucaseum, rex magne, senem? nullumne malorum
finem adeo poenaeque dabis? te cuncta precatur
gens hominum adque ipsi iam te, pater optime, fontes 65
fessaque cum siluis orant iuga. sat tibi furtum
ignis et aetheriae defensa silentia mensae.'

dixit ubi, e scopulis media inter pabula diri
uulturis ipse etiam gemitu maestaque fatigat
uoce Iouem saeuis releuans ambusta pruinis 70
lumina; congeminant amnes rupesque fragorem
Caucaseae; stupet ipse dei clamoribus ales.

tunc etiam superas Acheronte auditus ad arces
Iapetus grauis; orantem procul arcet Erinys
respiciens celsi legem Iouis. ille dearum 75
fletibus et magno Phoebi commotus honore
uelocem roseis demittit nubibus Irim.

'i, Phrygas Alcides et Troiae differat arma.
nunc' ait 'eripiat dirae Titana uolucris.'
diua uolat defertque uiro celeranda parentis 80
imperia adque alacrem laetis hortatibus implet.

Iam Minyae mediis clarae per sidera noctis
fluctibus intulerant placido caua lintea cursu
multaque deserto memores super Hercule uoluunt.
Thracius at summa sociis e puppe sacerdos 85
fata deum et miserae solans incommoda uitae
securum numeris agit et medicabile carmen;
quod simul adsumpta pulsum fide, luctus et irae
et labor et dulces cedunt e pectore nati.

Interea magni iam iam subeuntibus astris 90
Oceani genitale caput, Titania frenis
antra sonant; Sol auricomis urgentibus Horis
multifidum iubar et bissono sidere textam
loricam induitur; ligat hanc qui nubila contra
balteus undantem uariat mortalibus arcum. 95

inde super terras et eoi cornua montis
emicuit traxitque diem candentibus undis.
at Minyas uiso liquerunt flamina Phoebos.

Proxima Bebrycii panduntur litora regni,

pingue solum et duris regio non inuida tauris. 100
 rex Amyceus; regis fati et numine freti
 non muris cinxere domos, non foedera legum
 ulla colunt placidas aut iura tenentia mentes.
 quales Aetnaeis rabidi Cyclopes in antris
 nocte sub hiberna seruant freta, sicubi saeuis 105
 aduectet ratis acta notis tibi pabula dira
 et miseras, Polypheme, dapes: sic undique in omnes
 prospiciunt cursantque uias, qui corpora regi
 capta trahant. ea Neptuno trux ipse parenti
 sacrifici pro rupe iugi media aequora supra 110
 torquet agens. sin forma uiris praestantior adsit,
 tum legere arma iubet sumptisque occurrere contra
 caestibus; haec miseris sors est aequissima leti.
 huc ubi deuectam Neptunus gurgite puppem
 sensit et extremum nati prospexit in oras 115
 et quondam laetos domini certamine campos,
 ingemit ac tales euoluit pectore questus:
 'infelix imas quondam mihi rapta sub undas,
 nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti!
 usque adeone meam quacumque ab origine prolem 120
 tristia fata manent? sic te olim perdere sensi,
 Iuppiter, iniustae quando mihi uirginis armis
 concidit infelix et nunc chaos implet Orion.
 nec tibi nunc uirtus aut det fiducia nostri,
 nate, animos opibusque ultra ne crede paternis. 125
 iam iam aliae uires maioraque sanguine nostro
 uincunt fata Iouis, potior cui cura suorum est.
 atque ideo neque ego hanc tumidis auertere uentis
 temptaui tenuiue ratem, nec iam mora morti
 hinc erit ulla tuae, reges spreture secundos.' 130
 abstulit inde oculos, natumque et tristia linquens
 proelia sanguineo terras pater alluit aestu.
 Principio fluuios gentemque et litora ductor
 explorare iubet, paulumque egressus Echion
 inuenit obscura gemitus in ualle trahentem 135
 clam iuuenem et caesi maerentem nomen amici.

ille uirum ut contra uenientem umbrataque uidit
 tempora Parrhasio patriae de more galero
 paciferaeque manu nequiquam insignia uirgae,
 'heu fuge' ait 'certo quicumque is, perdit, passu, 140
 dum datur.' obstipuit uisu Nonacria proles,
 quid ferat admirans. postquam remeare monentem
 ocius et dictis perstantem cernit in isdem,
 abripit et sociis, quae sint ea, promere cogit.
 ille manus tendens 'non haec' ait 'hospita uobis 145
 terra, uiri, non hic ullos reuerentia ritus
 pectora; mors habitat saeuaeque hoc litore pugnae.
 iam ueniet diros Amycus qui tollere caestus
 imperet et uasto qui uertice nubila pulset.
 talis in aduectos Neptuni credita proles 150
 aeternum furit adque aequae uirtutis egentes,
 ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros
 constituit, tantum ut misero lauet arma cerebro.
 consulite atque fugae medium ne temnite tempus.
 namque isti frustra quisquam concurrere monstro 155
 audeat; et quaenam talem uidisse uoluptas?
 ductor ad haec 'Bebryxne uenis diuersaque regi
 corda gerens (melior uulgi nam saepe uoluntas),
 hostis an externis fato delatus ab oris?
 et tua cur Amycus caestu nondum obruit ora?' 160
 'nomen' ait 'praedulce mihi nauemque secutus
 Otreos unanimi. decus ille et laeta suorum
 gloria nec uestros comes aspernandus in actus,
 Hesionam et Phrygiae peteret cum gaudia nuptae,
 hic Amycum contra iussus stetit adque ego palmas 165
 implicui; sed prima procul uixdum ora leuantis
 fulminea frontem dextra disiectaque fudit
 lumina; me numquam leto dignatus et armis,
 sed lacrimis potius luctuque absumor inertis.
 spes tamen, his quando si nuntius extitit oris 170
 et Mariandynum patrias penetrauit ad urbes,
 unde genus fraterque uiro — sed et ille quierit
 oro nec uanis cladem Lycus augeat armis.'

Haec ubi non ulla iuuenes formidine moti
 accipiunt, dolet et, durent si pergere mente, 175
 terga sequi properosque iubet coniungere gressus.
 litore in extremo spelunca apparuit ingens,
 arboribus super et dorso contacta minanti,
 non quae dona die, non quae trahat aetheris ignem;
 infelix domus et sonitu fremibunda profundi. 180
 at uarii pro rupe metus: hic trunca rotatis
 brachia rapta uiris strictoque inmortua caestu
 ossaque taetra situ et capitum maestissimus ordo
 (respicias quibus aduerso sub uulnere nulla
 iam facies nec nomen erat); media ipsius arma 185
 sacra metu magnique aris inposta parentis.
 hospitis hic primum monitus rediere Dymantis,
 et pauor et monstri subiit absentis imago,
 atque oculos cuncti inter se tenere silentes,
 donec sidereo Pollux interritus ore 190
 'te tamen hac, quicumque es,' ait 'formidine faxo
 iam tua silua ferat, modo sint tibi sanguis et artus.'
 omnibus idem animus forti decernere pugna,
 exoptantque uirum contraque occurrere poscunt.
 qualiter ignotis spumantem funditus amnem 195

 pandit iter, mox omne pecus formidine pulsa
 pone subit, iamque et mediis praecedit ab undis.
 At procul e siluis sese gregibusque ferebat
 saeuos in antra gigans. quem nec sua turba tuendo 200
 it taciti secreta metus. mortalia nusquam
 signa manent; instar scopuli, qui montibus altis
 summus abit longeque iugo stat solus ab omni.
 deuolat inde furens, nec quo uia curue profecti
 nec genus ante rogat, sed tali protonat ira: 205
 'incipite, o iuuenes. etenim fiducia, credo,
 huc tulit auditas et sponte laccessitis oras.
 sin errore uiae necdum mens gnara locorum:
 Neptuni en domus adque egomet Neptunia proles.
 hic mihi lex caestus aduersaque tollere contra 210

brachia. sic ingens Asiae plaga quique per arcton
dexter et in laeuum pontus iacet haec mea uisit
hospitia; hoc functi remeent certamine reges.
iam pridem caestus resides et frigida raris
dentibus aret humus. quis mecum foedera iunget? 215
prima manu cui dona feram? mox omnibus idem
ibit honos. fuga sub terras, fuga nulla per auras.
nec lacrimae (ne ferte preces) superiue uocati
pectora nostra mouent; aliis rex Iuppiter oris.
faxo Bebrycium nequeat transcendere puppis 220
ulla fretum et ponto uolitet Symplegas inani.'

Talia dicta dabat, cum protinus asper Iason
et simul Aeacidae simul et Calydonis alumni
Nelidaeque Idasque prior quae maxima surgunt
nomina; sed nudo steterat iam pectore Pollux. 225
tum pauor et gelidus defixit Castora sanguis.
nam nec ad Elei pugnam uidet ora parentis,
nec sonat Oebalius caeuae fauor ad iuga nota
Taygeti, rapitur patrios ubi uictor ad amnes,
nec pretium sonipes aut sacrae taurus harenae, 230
praemia sed manes reclusaque ianua leti.
illum Amycus nec fronte trucem nec mole tremendum
uixdum etiam primae spargentem signa iuuentae
ore renidenti lustrans obit et fremit ausum,
sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes. 235
non aliter iam regna poli, iam capta Typhoeus
astra ferens Bacchum ante acies primamque deorum
Pallada et oppositos doluit sibi uirginis angues.
sic adeo insequitur rabidoque ita murmure terret:
'quisquis es, infelix celera puer; haut tibi pulchrae 240
manserit hoc ultra frontis decus oraue matri
nota feres. tune, o sociis electus iniquis,
tune Amyci moriere manu?' nec plura moratus
ingentes umeros spatiosaque pectoris ossa
protulit horrendosque toris informibus artus. 245
deficiunt uisu Minyae, miratur et ipse
Tyndarides; redit Alcidae iam sera cupido

et uacuos maesto lustrarunt lumine montes.
 at satus aequoreo fatur tunc talia rege:
 'aspice et ec crudis durata uolumina tergis; 250
 nec peto sortis opem, sed quos potes indue caestus.'

Dixit et urgentis per sera piacula fati
 nescius extremum hoc armis innectere palmas
 dat famulis; dat et inde Lacon. odia aspera surgunt
 ignotis prius adque incensa mente feruntur 255

in medium sanguis Iouis et Neptunia proles.
 hinc illinc dubiis intenta silentia uotis.
 at pater orantis caesorum Tartarus umbras
 nube caua tandem ad meritae spectacula poenae
 emittit; summi nigrescunt culmina montis. 260

continuo Bebryx, Maleae uelut arce fragosa
 turbo rapax, uix ora uirum, uix tollere passus
 brachia torrenti praeceps agit undique nimbo
 cursibus inuoluens, totaque inmanis harena
 insequitur. uigil ille metu cum pectore et armis 265

huc alternus et huc, semper ceruice reducta,
 semper et in digitis et summi puluere campi,
 protectusque redit. spumanti qualis in alto
 Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri
 cura tenet, rabidum uentis certantibus aequor 270

intemerata secat: Pollux sic prouidus ictus
 seruat et Oebalia dubium caput eripit arte.
 ut deinde urgentes effudit nubibus iras
 ardoremque uiri, paulatim insurgere fesso
 integer et summis manibus diducere caestus. 275

ille dies aegros Amyci sudoribus artus
 primus et arenti cunctantem uidit hiatu:
 nec sua defessum noscunt loca nec sua regem
 agmina. respirant ambo paulumque reponunt
 brachia; ceu Lapithas aut Paeonas aequore in ipso 280

cum refouet fixaque silet Gradivus in hasta.
 uix steterant, et iam ecce ruunt inflictaque late
 terga sonant; noua uis iterum, noua robora surgunt.
 hunc pudor, hunc noto iam spes audentior hoste

instimulat. fumant crebro praecordia pulsu. 285
 auia responsant gemitu iuga: peruigil ut cum
 artificum tonat Aetna manus et fulmina Cyclops
 prosubigit, pulsus strepitant incudibus urbes.
 emicat hic laeuamque parat dextramque minatur
 Tyndarides; redit huc oculis et pondere Bebryx 290
 sic ratus, ille autem celeri quatit ora sinistra.
 conclamant socii et subitas dant gaudia uoces.
 illum insperata turbatum fraude furentemque
 Oebalides prima refugit dum detonet ira,
 territus ipse etiam adque ingentis conscius ausi. 295
 saeuit inops Amycus nullo discrimine sese
 praecipitans rabidusque uirum (respectat ouantes
 quippe procul Minyas) tum caestu elatus utroque
 inruit. hos inter Pollux subit et trucis ultro
 aduolat ora uiri: nec spes effecta, sed ambae 300
 in pectus cecidere manus. hoc saeuior ille
 ecce iterum uacuas agit inconsulta per auras
 brachia. sentit at ut Pollux rationis egentem,
 dat genibus iunctis latus effusumque secutus
 haud reuocare gradum patitur, turbatque premitque 305
 ancipitem crebros et liber congerit ictus
 desuper auerso; sonat omni uerbere uertex
 inclinis ceciditque manus. iam tempora manant
 sanguine iamque latent aures, uitalia donec
 uincula, qua primo ceruix committitur artu, 310
 soluit dextra grauis. labentem propulit heros
 ac super insistens 'Pollux ego missus Amyclis
 et Ioue natus' ait, 'nomen mirantibus umbris
 hoc referes, sic et memori noscere sepulchro.'
 Bebrycas extemplo spargit fuga; nullus adempti 315
 regis amor; montem celeres siluamque capessunt.
 haec sors, haec Amycum tandem manus arcuit ausis
 effera seruantem Ponti loca uimque iuuentae
 continuam et magni sperantem tempora patris.
 tenditur ille ingens hominum pauor aruaque late 320
 occupat, annosi ueluti si decidat olim

pars Erycis uel totus Athos; qua mole iacentis
 ipse etiam expleri uictor nequit oraque longo
 comminus optutu mirans tenet. at manus omnis
 heroum densis certatim amplexibus urgent, 325
 armaque ferre iuuat fessasque attollere palmas.
 'salue uera Iouis, uera o Iouis' undique 'proles'
 ingeminant, 'o magnanimis memoranda palaestris
 Taygeta et primi felix labor ille magistri!
 dumque ea dicta ferunt, tenues tamen ire cruores 330
 siderea de fronte uident; nec sanguine Pollux
 territus auerso siccabat uulnera caestu.
 illius excelsum ramis caput oraque Castor
 implicat et uiridi coniectit tempora lauro,
 respiciensque ratem 'patriis' ait 'has precor oris, 335
 diua, refer frondes cumque hac freta curre corona.'
 dixerat. hinc ualida caedunt armenta bipenni
 perfusique sacro placati gurgitis amne
 graminea sternuntur humo; tunc liba dapesque
 frondibus adcumulant; exsortia terga Laconi 340
 praecipiant pecudum. toto mox tempore mensae
 laetus ouat nunc laude uirum nunc uatis honoro
 carmine, uictori geminans cratera parenti.
 Iamque dies auraeque uocant, rursusque capessunt
 aequora, qua rigidos eructat Bosphoros amnes. 345
 illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
 transierat fluctus, unde haec data nomina ponto.
 tum pius Oeagri claro de sanguine uates,
 admonitus genetrice, refert casusque locorum
 Inachidosque uias pelagusque emensa iuuencae 350
 exilia intentisque canit: 'uidere priores
 saepe Iouem in terras Argiuaque regna Pelasgum
 uirginis Iasiae blandos descendere ad ignes.
 sentit Iuno dolos curaque accensa iugali
 aethere desiluit; dominam Lyrceia tellus 355
 antraque deprensae tremuerunt conscia culpa.
 tum trepida Inachiae paelex subit ora iuuencae
 sponte dei; plausu fouet hanc et pectora mulcet

Iuno renidenti cohibens suspiria uultu.
 mox ita adorta Iouem: "da quam modo ditibus Argis 360
 campus alit primae referentem cornua Phoebes
 indomitamque bouem, da carae munera nuptae.
 ipsa ego dilectae pecudi iam pascua digna
 praecipuosque legam fontes." qua fraude negaret
 aut quos inuentos tenuisset Iuppiter astus? 365
 muneris illa potens custodem protinus Argum
 adiungit; custos Argus placet, inscia somni
 lumina non aliter toto cui uertice, quam si
 Lyda nurus sparso telas maculauerit ostro.
 Argus et in scopulos et monstris horrida lustra 370
 ignotas iubet ire uias heu multa morantem
 conantemque preces inclusaque pectore uerba.
 ultima tum patriae cedens dedit oscula ripae.
 fleuit Amymone, flerunt Messeides undae,
 fleuit et effusis reuocans Hyperia lacertis. 375
 illa ubi uel fessi tremere erroribus artus,
 uel rueret summo iam frigidus aethere uesper,
 heu quotiens saxo posuit latus! aut ubi longa
 aegra siti, quos ore lacus, quae pabula carpsit!
 uerbere candentes quotiens exhorruit armos! 380
 quin et ab excelso meditantem uertice saltus
 ardentemque mori ualles citus egit in imas
 Argus et arbitrio durus seruauit erili:
 cum subito Arcadio sonuit caua fistula ritu
 imperiumque patris celerans Cyllenius ales 385
 aduenit et leni modulatur carmina auena
 "quo" que ait "hinc diuersus abis? heus respice cantus!"
 haud procul insectans Argum languentia iam iam
 lumina cuncta notat dulcesque sequentia somnos,
 et celerem mediis in cantibus exigit harpen. 390
 iamque resecta Ioui paulatim in imagine prisca
 ibat agris Io uictrix Iunonis, at ecce
 cum facibus flagrisque et Tartareo ululatu
 Tisiphonen uidet: ac primo uestigia uisu
 figit et in miserae rursus bouis ora recurrit, 395

nec qua ualle memor, nec quo se uertice sistat.
 Inachias errore etiam defertur ad undas
 qualis et a prima quantum mutata iuuenca!
 nec pater aut trepidae temptant accedere nymphae.
 ergo iterum siluas, iterum petit inuia retro 400
 ceu Styga dilectum fugiens caput; inde per urbes
 raptatur Graias adque ardua flumina ripis,
 oblato donec paulum cunctata profundo
 incidit: absistunt fluctus et gnara futuri
 dant placida alta uiam; celsis procul ipsa refulget 405
 cornibus ac summa palearia sustinet unda.
 ast Erebi uirgo ditem uolat aethere Memphin
 praecipere et Pharia uenientem pellere terra.
 contra Nilus adest et toto gurgite torquens
 Tisiphonen agit adque imis inlidit harenis 410
 Ditis opem ac caeci clamantem numina regni.
 apparent sparsaeque faces disiectaque longe
 uerbera et abruptis excussi criminibus hydri.
 nec Iouis interea cessat manus. intonat alto
 insurgens caelo genitor curamque fatetur, 415
 atque ipsa imperium Iuno pauet. haec procul Io
 spectat ab arce Phari iam diuis addita iamque
 aspide uincta comas et ouanti persona sinistro.
 Bosphoron hinc ueteres errantis nomine diuae
 uulgauere. iuuet nostros nunc ipsa labores 420
 inmissisque ratem sua per freta prouehat auris.⁹
 Dixerat. et placidi tendebant carbasa uenti.
 postera non cassae Minyis Aurora retexit
 noctis iter; noua cuncta uident Thyneaque iuxta
 litora fatidici poenis horrentia Phinei. 425
 dira deum summoque lues urgebat in aeuo.
 quippe neque extorrem tantum nec lucis egentem
 insuper Harpyiae Typhoides, ira tonantis,
 depopulant ipsoque dapes praedantur ab ore.
 talia prodigia et tales pro crimine poenas 430
 perpetitur. spes una seni, quod pellere saeuam
 quondam fata luem dederant Aquilone creatis.

ergo ubi iam Minyas certamque accedere Phineus
 sentit opem, primas baculo duce fertur ad undas
 uestigatque ratem atque oculos attollit inanes. 435
 tunc tenuem spirans animam 'salue o mihi longum
 expectata manus nostrisque' ait 'agnita uotis.
 nouimus et diuis geniti quibus et uia iussos
 quae ferat ac uestri reputaui tempora cursus
 proxima quaeque legens, quantum Vulcania Lemnos 440
 traxerit, infelix tulerit quae Cyzicus arma.
 sensi et Bebrycio supremam in litore pugnam
 iam propior iamque hoc animam solamine mulcens.
 non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
 aut memorem, mea quod uates insedit Apollo 445
 pectora; praesentis potius miserescite fati.
 nec mihi diuersis erratum casibus orbem
 amissas aut flere domos aut dulcia tempus
 lumina; confectis serum est ex ordine fatis
 ingemere. Harpyiae semper mea pabula seruant, 450
 fallere quas nusquam misero locus: ilicet omnes
 deueniunt niger intorto ceu turbine nimbus,
 iamque alis procul et sonitu mihi nota Celaeno;
 diripiunt uerruntque dapes foedataque turbant
 pocula, saeuit odor surgitque miserrima pugna, 455
 parque mihi monstrisque fames. spreuere quod omnes
 pollueruntque manu quodque unguibus excidit atris
 has mihi fert in luce moras. nec rumpere fata
 morte licet; trahitur uictu crudelis egestas.
 sed uos o seruate precor, praedicta deorum 460
 si non falsa mihi, uos finem inponite poenis.
 nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquilonia proles
 non externa mihi; nam rex ego diuitis Hebri
 iunctaque uestra meo quondam Cleopatra cubili.'
 Nomen ad Actaeae Calais Zetesque sororis 465
 prosiliunt, Zetesque prior 'quem cernimus?' inquit.
 'tunc ille Odrysiae Phineus rex inclitus orae?
 tu Phoebi comes et nostro dilecte parenti?
 o ubi nunc regni generisque ubi gloria? quam te

exedit labor et miseris festina senectus! 470
 quin age, mitte preces; namque est tibi nostra uoluntas,
 si non ira deum, uel si placabilis urget.
 sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas
 'te' que ait 'iniusti, quae nunc premis, ira tonantis
 ante precor, nostrae tandem iam parce senectae; 475
 sit modus; et fore credo equidem; nam uestra uoluntas
 non, iuuenes, sine pace deum. nec credite culpam
 saeuitiae scelerumue mihi nunc crimina pendi;
 fata loquax mentemque Iouis quaeque abdita solus
 consilia et terris subito uentura parabat 480
 prodideram miserans hominum genus; hinc mihi tanta
 pestis et offusae media inter dicta tenebrae.
 iam tandem cessere irae; nec casus ab alto,
 ipse uolens nostris sed uos deus appulit oris.'
 sic ait et, fatis ita iam cedentibus, omnes 485
 inpulit et durae commouit imagine poenae.
 instituere toros mediisque tapetibus ipsum
 accipiunt circumque iacent: simul aequora seruant
 astra simul, uescique iubent ac mittere curas:
 cum subitus misero tremor et pallentia primae 490
 ora senis fugere manus. nec prodita pestis
 ante, sed in mediis dapibus uidere uolucres.
 fragrat acerbus odor patriique expirat Auerni
 halitus; unum omnes incessere planctibus, unum
 infestare manus; inhiat Cocytia pubes 495
 luxurians ipsoque ferens fastidia uisu.
 tum sola conluuie adque inlisis stramina mensis
 foeda rigant; stridunt alae, praedaque retenta
 saeuit utrimque fames; nec solum horrenda Celaeno
 Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores. 500
 emicat hic subito seseque Aquilonia proles
 cum clamore leuat, genitor simul inpulit alas.
 hoste nouo turbata lues lapsaeque rapinae
 faucibus, et primum puidae Phineia tecta
 peruolitant, mox alta petunt; stant litore fixi 505
 Haemonidae adque oculis palantia monstra secuntur.

sicut prorupti tonuit cum forte Veseui
 Hesperiae letalis apex, uixdum ignea montem
 torsit hiemps iamque eoas cinis induit urbes:
 turbine sic rapido populos adque aequora longe 510
 transabeunt, nullaque datur considerare terra.
 iamque et ad Ionii metas adque intima tendunt
 saxa; uocat magni Strophadas nunc incola ponti.
 hic fessae letique metu propioris anhelae
 dum trepidant humilique graues timidoque uolatu 515
 inplorant clamore patrem Typhona nefando,
 extulit adsurgens noctem pater imaque summis
 miscuit, et mediis uox exaudita tenebris:
 'iam satis huc pepulisse deas. cur tenditis ultra
 in famulas saeuire Iouis, quas, fulmina quamquam 520
 aegidaque ille gerens, magnas sibi legit in iras?
 nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
 imperat; adgnoscent monitus iussaque recedunt.
 mox tamen et uobis similis fuga, cum premet arcus
 letifer. Harpyiae numquam non pabula quaerent, 525
 donec erunt diuum merita mortalibus irae.'
 haesit uterque polo dubiisque elanguit alis;
 mox abit et sociae uictor petit agmina pubis.
 Interea Minyae pulsa lue prima tonanti
 sacra nouant; tum uina toris epulasque reponunt. 530
 ipse inter medios ceu dulcis imagine somni
 laetus ad oblitae Cereris suspirat honores;
 agnoscit Bacchi latices, agnoscit et undam
 et noua non puidae miratur gaudia mensae.
 hunc ubi reclinem stratis et pace fruentem 535
 aspicit et longae ducentem obliuia poenae,
 talibus appellat supplexque ita fatur Iason:
 'uota, senex, perfecta tibi; nunc me quoque curis
 eripe et ad nostros animum conuerte labores.
 omnis adhuc sors laeta quidem, nec numine uano 540
 (siqua fides curae superum) tantum aequor adorti
 tendimus; ipsa mihi puppem Iouis optima proles
 instituit, dedit et socios Saturnia reges.

fidere mens sed nostra nequit, quantumque propinquat
 Phasis et ille operum summus labor, hoc magis angunt 545
 proxima, nec uates sat iam mihi Mopsus et Idmon.
 ille ducem nec ferre preces nec dicere passus
 amplius, hic demum uittas laurumque capessit
 numina nota ciens. stupet Aesonis inclita proles
 Phinea ceu numquam poenis nullaue grauatum 550
 peste Iouis: tam largus honos, tam mira senectae
 maiestas infusa; uigor nouus auxerat artus.
 tum canit: 'o terras fama uenture per omnes,
 quem sociis ducibusque deis adque arte benigna
 Pallados ipse ultro Pelias ad sidera tollit, 555
 demens, dum profugi non sperat uellera Phruxi,
 fata locosque tibi, possum quas reddere grates,
 expediam rerumque uias finemque docebo.
 ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
 saecula, te propter fandi mihi Iuppiter auctor. 560
 hinc iter ad Ponti caput errantesque per altum
 Cyaneas. furor his medio concurrere ponto,
 necdum ullas uidere rates: sua comminus actae
 saxa premunt cautesque suas. quasi, uincula mundi
 cum ima labant, tremere ecce solum, tremere ipsa repente 565
 tecta uides: illae redeunt, illae aequora uertunt.
 di tibi progresso propius, di forsitan ipsi
 auxilium mentemque dabunt. ast ipse iuuare
 ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
 tenditis, unde procul uenti, procul unde uolucres. 570
 et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.
 siqua breuis scopulis fiet mora, si semel orsis
 ulla quies, fuga tunc medio properanda recursu.
 uix repetunt primae celeres confinia terrae.
 iamque alio clamore ruont, omnisque tenetur 575
 pontus et infestis anceps cum montibus errat.
 uerum animo redit illa meo sors cognita diuum
 (fabor enim nec spe dubios solabor inani):
 cum mihi Tartareas saeuo clangore uolucres
 protulit ira Iouis, uox haec simul excidit auris: 580

"ne uanas impende preces finemque malorum
 expete, Agenoride; pontum penetrauerit ulla
 cum ratis et rabidi steterint in gurgite montes,
 tunc sperare modum poenae ueniamque licebit."
 sic deus. aut uobis ergo fera saxa patescunt 585
 aut mea iam saeuae redeunt ad pabula Dirae.
 uerum inter medias dabitur si currere cautes
 (certe digna manus) uacuumque exhibis in aequor,
 proxima regna Lyci, remeat qui uictor ab oris
 Bebryciis: toto non ullus litore Ponti 590
 mitior. hic lecto comitum de robore siquem
 perculerit uicina lues, ne defice casus
 praedicti memor adque animos accinge futuris.
 illic pestiferas subter iuga concaua torquet
 alter aquas Acheron uastoque exundat hiatu 595
 fumeus, et caeca tegitur caligine campus:
 linque grauem fluuium et miseris sua fata colonis.
 sic quoque non uno dabitur transcurrere luctu.
 quid tibi nubifera surgentem rupe Carambin,
 quid memorem, quas Iris aquas aut torqueat Ancon? 600
 proxima Thermodon huic iam secat arua fluento.
 inclita Amazonidum magnoque exorta Gradiuo
 gens ibi; femineas nec tu nunc crede cateruas,
 sed qualis, sed quanta uiris insultat Enyo
 diuaque Gorgonei gestatrix innuba monstri. 605
 ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
 uentus agat, ludo uolitans cum turma superbo
 puluereis exultat equis ululataque tellus
 intremit et pugnas mota pater incitat hasta.
 non ita sit metuenda tibi saeuissima quamquam 610
 gens Chalybum, duris patiens cui cultus in aruis
 et tonat adflicta semper domus ignea massa.
 inde omnem innumeri reges per litoris oram,
 hospitii quis nulla fides; sed limite recto
 puppis et aequali transcurrat carbasus aura. 615
 sic demum rapidi uenies ad Phasidis amnem.
 castra ibi iam Scythiae fraternaue surgit Erinys.

ipse truces illic Colchos hostemque iuuabis
 auxiliis. nec plura equidem discrimina cerno.
 fors etiam optatam dabitur contingere pellem. 620
 sed te non animis nec solis uiribus aequom
 credere; saepe acri potior prudentia dextra.
 quam tulerit deus, arripe opem. iamque ultima nobis
 promere fata nefas; sinite o, precor.' adque ita facto
 fine dedit tacitis iterum responsa tenebris. 625

Tum subita resides socios formidine Iason
 praecipitat rumpitque moras tempusque timendi.
 ipse uiros gradiens ad primi litoris undam
 prosequitur Phineus. 'quaenam tibi praemia' dixit
 'quas, decus o Boreae, possim persoluere grates? 630
 me Pangaea super rursus iuga meque paterna
 stare Tyro dulcesque iterum mihi surgere soles
 nunc reor. exactae uerumne abiere uolucres?
 nec metuam tutaeque dapes? date tangere uultus,
 dem sinite amplexus, propiusque accedite dextrae.' 635
 dixerat. abscedunt terris et litora condunt.

Omnibus extemplo saeua sub imagine rupes
 Cyanae propiorque labor, quando adfore quaque
 parte putent; stant ora metu nec fessa recedunt
 lumina diuersas circum seruantibus undas, 640
 cum procul auditi sonitus insanaque saxa.
 saxa neque illa uiris, sed praecipitata profundo
 siderei pars uisa poli. dumque ocuis instant,
 ferre fugam maria ante ratem, maria ipsa repente
 deficere aduersosque uident discedere montes; 645
 omnibus et gelida lapsi formidine remi.
 ipse per arma uolans et per iuga summa carinae
 hortatur supplexque manus intendit Iason
 nomine quemque premens. 'ubi nunc promissa superba
 ingentesque minae, mecum quibus ista secuti? 650
 idem Amyci certe uiso timor omnibus antro
 caecus erat; stetimus tamen et deus adfuit ausis.
 quin iterum idem aderit certo deus.' haec ubi fatus,
 corripit abiecti remumque locumque Phaleri

et trahit; insequitur flammata pudore iuuentus. 655
 unda laborantes praeceps rotat ac fuga ponti
 obuia; miscentur rupes, iamque aequore toto
 Cyanaeae iuga praecipites inlisa remittunt.
 bis fragor infestas cautes aduersaque saxis
 saxa dedit, flamma expresso bis fulsit in imbri. 660
 sicut multifidus ruptis e nubibus horror
 effugit et tenebras nimbosque intermicat ignis
 terrificique ruunt tonitrus elisaque noctem
 lux dirimit, pauor ora uirum, pauor occupat artus:
 haud secus impleuit pontum fragor; effluit imber 665
 spumeus et magno puppem procul aequore uestit.
 Aduertere dei defixaque lumina ponto,
 quid scopulis praeclusa ratis, quid dura iuuentus
 expediat; feruet magnis fauor ortus ab ausis.
 prima coruscanti signum dedit aegide uirgo 670
 fulmineam iaculata facem. uixdum ardua cautes
 cesserat, illa uolans tenui per concita saxa
 luce fugit; rediere uiris animique manusque,
 ut uidere uiam. 'sequor, o quicumque deorum'
 Aesonides 'ciet' altus ait, praecepsque fragores 675
 per medios ruit et fumo se condidit atro.
 coeperat hinc cedens abductis montibus unda
 ferre ratem pelagoque dies occurrere aperto.
 sed neque permissis iam fundere rector habenis
 uela, nec eniti remis pote: cum super adsunt 680
 Cyanaeae: premit unda ratem scopulique feruntur
 comminus. hic Iuno praecepsque ex aethere Pallas
 insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
 hunc coniunx Iouis; ut ualido qui robore tauros
 sub iuga et inuito detorquet in ilia cornu. 685
 inde, uelut mixtas Vulcanius ardor ahenis
 uerset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
 angitur et clausum scopulos super effluit aequor.
 contra omnes ualidis tenui discrimine remis
 pergere iter mediosque ratem transferre per ictus; 690
 saxa sed extremis tamen increpuere corymbis,

parsque (nefas) deprensa iugis; nam cetera caelo
 debita. conclamant Minyae, latera utraque quippe
 dissiluisse putant. fugit ipse nouissimus ictus
 Tiphys et e mediis sequitur freta rapta ruinis; 695
 nec prius obsessum scopulis respexit ad aequor
 aut sociis temptata quies, nigrantia quam iam
 litora longinquire exirent flumina Rhebae.
 tunc fessas posuere manus, tunc arida anhel
 pectora, discussa quales formidine Auerni 700
 Alcides Theseusque comes pallentia iungunt
 ora, ubi uix primas amplexi luminis oras.

Nec uero ipse metus curasque resolvere ductor,
 sed maria aspectans 'heu qui datus iste deorum
 sorte labor nobis! saeuum ut ueniamus ad amnem 705
 Phasidis et mites' inquit 'dent uellera Colchi,
 unde per hos iterum montes fuga?' talia fundit,
 imperio fixos Iouis aeternumque reuinctos
 nescius. haec fati certa nam lege manebant,
 siqua per hos undis umquam ratis isset apertis. 710

Tum freta, quae longis fuerant inperuia saeculis,
 ad subitam stupere ratem, Pontique iacentis
 omne solum regesque patent gentesque repostae.
 non alibi effusis cesserunt longius undis
 litora; nec tantas iunctus Tyrrhenus et Aegon 715
 uoluat aquas, geminis tot desint Syrtibus undae.
 nam super huc uastos tellus quoque congerit amnes.
 num septemgemi memorem quas exitus Histri,
 quas Tanais flauusque Tyres Hypanisque Nouasque
 addat opes, quantosque sinus Maeotia laxent 720
 aequora? flumineo sic agmine fregit amari
 uim salis hinc Boreae cedens glaciantibus auris
 Pontus et exorta facilis concrecere bruma.
 utque uel inmotos ursae rigor inuenit amnes
 uel freta uersa uadis, hiemem sic unda per omnem 725
 aut campo iacet aut tumido riget ardua fluctu,
 atque hac Europam curuis anfractibus urget,
 hac Asiam Scythicum specie sinuatus in arcum.

illic umbrosae semper stant aequore nubes
 et non certa dies, primo nec sole profundum 730
 soluitur aut uernis cum lux aequata tenebris,
 sed redit extremo tandem in sua litora tauro.

Iam Mariandynis aduertit puppis harenis,
 adque celer terras regemque requirit Echion
 dicta ferens, lectos (fama est si nominis umquam) 735
 Haemoniae subiisse uiros, det litora fessis.

adproperat Lycus auditis laetatus Achiuis,
 ac simul Aesoniden omnemque in regia turbam
 tecta trahit modo Bebryciis praefixa trophaeis,
 mitis et in mediis effatur talia Grais: 740

'haud temere est: fato diuum reor ad mea uectos
 litora uos, odium quibus adque eadem ira furentis
 Bebryciae saeuaque pares de gente triumphi.
 certa fides animis, idem quibus incidit hostis.

nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti, 745
 sensimus et saeuis frater mihi fusus habenis.

ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
 tunc aderam, cum uos mediis contenta ferebant
 uela fretis. illum in sanie taboque recenti
 uidimus aequoreo similem per litora monstro. 750

nec uero praerepta mihi suprema tyranni
 fata queror bellouae magis laetarer et armis
 procubuisse meis, quam lege quod occidit ultus
 ipse sua meritoque madent quod sanguine caestus.'

excipit Aesonides 'tuus ergo in montibus ignis 755
 ille? tuas acies medio de gurgite uidi?'

fatur, et ostentans prolem Iouis 'hic tibi Pollux
 en' ait, 'inliso soluit cui pectore poenas.'

ille uirum circa mirantia lumina uoluit.
 festa dehinc mediis ineunt conuiuia tectis 760
 communesque uocant superos, quorum eruta nutu
 Bebrycia, et uotis pariter praedaque fruuntur.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER QUINTUS.

Altera lux haud laeta uiris emersit Olympo:
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
labitur extremi sibi dudum conscius aevi.
at memor Aesonides nimium iam uera locuti
Phineos hinc alios raptu pauet Idmone luctus. 5
tum comiti pia iusta tulit caelataque multa
arte Dolionii donat uelamina regis,
hospes humum sedemque Lycus. flens arma reuellit
Idmonis e celsa Mopsus rate; robora caedunt
pars siluis portantque arae: pars auguris alba 10
fronde caput uittisque ligant, positumque feretro
congemuere; dies simul et suus admonet omnes.
Ecce inter lacrimas interque extrema uirorum
munera, quem cursus penes imperiumque carinae,
Tiphyn agit uiolenta lues, cunctique pauore 15
attoniti fundunt maestas ad sidera uoces:
'arquipotens aduerte, precor, nunc denique Apollo;
hoc, pater, hoc nobis refoue caput, ulla laboris
si nostri te cura mouet, qui cardine summo
uertitur adque omnis manibus nunc pendet ab unis.' 20
dicta dabant uentis nec debita fata mouebant.
qualem praecipiti grauidum iam sorte parentem
natorum flet parua manus trepidique precantur,

duret ut inualidis et adhuc genitoris egenis:
haut aliter socii supremo in tempore Tiphyn 25
ante alios superesse uolunt. mors frigida contra
urget, et ille recens oculis interuolat Idmon.
exanimum frustra Minyae clamore morantur
auellique negant; uix membra rigentia tandem
inposuere rogo lacrimasque et munera flammis 30
uana ferunt; crescit donis feralis aceruus.
ut uero amplexus fessi rupere supremos
et rapidae sonuere faces, tunc ipsa cremari
uisa ratis medioque uiros deponere ponto.
non tulit Aesonides geminis flagrantia cernens 35
corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo
talia uoce gemit: 'quid tantum infensa repente
numina? qui nostri poenas meruere labores?
bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
litore. magna adeo comitum numerosaque pubes? 40
aut socios rapit atra dies aut ipse relinquo
sontibus impulsus Furiis. ubi Tiphys? ubi Idmon
fata canens? ubi monstriferae par ille nouercae?
te sine, Thespiade, nos ulla mouebimus ultra
aequora? nec summa speculantem puppe uidebo 45
Pleiadumque globos et agentes noctibus Arctos?
cui Minyas caramque ratem, cui sidera tradis?
carpere securas quis iam iubet Aesona noctes?
hoc labor, hoc dulci totiens fraudata sopore
lumina et admotis nimium mens anxia Colchis 50
profuit? heu quantum Phasis, quantum Aea recessit!
nunc quoque, si tenui superant in imagine curae,
adsis umbra, precor, uenturi praescia caeli,
rectoremque tuae moneas ratis.' haec ubi fatus,
sola uirum flammis uidit labentibus ossa. 55
'quod tamen extremis unum solamen in oris
restat' ait, 'caras humus haec non diuidat umbras
ossaque nec tumulo nec separe contegat urna,
sed simul, ut iunctis uenistis in aequora fatis.'
haud mora; reliquias socii defletaque miscent 60

nomina. tum uiuo frondens e cespite tellus
aggeritur, cineremque Lyco commendat Iason.

Maesti omnes dubiique, ratem fidissima cuius
dextra regat; simul Ancaeus sollersque petebat
Nauplius. Erginum fato uocat ipsa monenti 65

quercus, et ad tonsas uicti rediere magistri.
ac uelut ille, gregis cessit cui regia, taurus
fertur ouans; hunc omnis honos, hunc omnis in unum
transit amor; primo laetus sic tempore rector
ingreditur cursus; etenim dat candida certam 70
nox Helicen. iam prora fretum commouerat et iam
puppe sedens miseras dimiserat anchora terras.

Inde, premente noto, tristes Acherusidos oras
praeterit et festa uulgatum nocte Lyaei
Callichoron; nec uana fides. his Bacchus in undis 75
abluit eoo rorantes sanguine thyrsos.

illum post acies rubrique nouissima claustra
aequoris hic resides thiasos, hic aera mouentem
udaque pampinea nectentem cornua uitta
nunc etiam meministis, aquae, Boeotia qualem 80
Thyas et infelix cuperet uidisse Cithaeron.

Fama per extremos quin iam uolat inproba manes
interea et magnis natorum laudibus implet,
addita iamque fretis referens freta iamque patentem 85
Cyaneas. ardent auidos attollere uultus,

quos pietas uel tangit adhuc quos aemula uirtus.
fata immota manent; unum, qui litore in illo
conditus, ad carae mittunt spectacula turbae.

it Sthenelus: qualem Mauortia uidit Amazon
cumque suis comitem Alcides ut condidit armis, 90

talis ab aequorei consurgens aggere busti
emicuit; fulsere undae, sol magnus ut orbem
tolleret aut nubem quateret polus. adque ea uixdum
uisa uiris atra nox protinus abstulit umbra.

ille dolens altum repetit chaos. omina Mopsus 95
dum stupet, in prima tumulum procul aspicit acta,
obnubensque caput cineri dat uina uocato.

carmina quin etiam uisos placantia manes
 Odrysius dux rite mouet mixtoque sonantem
 percutit ore lyram nomenque relinquit harenis. 100

Acrius in remos rediit ratis, ac fugit omne
 Crobiali latus et fatis tibi, Tiphy, negatum
 Parthenium, ante alios Triuiaie qui creditur amnis
 fidus et Inopi materna gratior unda.

mox etiam Cromnae iuga pallentemque Cytoron 105
 teque cita penitus condunt, Erythia, carina.

iamque reducebat noctem polus: alta Carambis
 raditur et magnae pelago tremit umbra Sinopes.

Assyrios complexa sinus stat opima Sinope,
 nympa prius blandosque Iouis quae luserat ignes 110

caelicolis immota procis: deceptus amatae
 fraude deae nec solus Halys nec solus Apollo.

Addidit hic casu comites Fortuna benigno
 Autolycum Phlogiumque et Deileonta, secutos
 Herculis arma uiros; uagus hos ibi fixerat error. 115

ut Graiam uidere manum puppemque Pelasgam,
 prima ruunt celeres ad litora seque precantur
 accipiant socios. noua dux accedere gaudet
 nomina desertos et iam sibi currere remos.

transit Halys longisque fluens amfractibus Iris 120
 saeuaque Thermodon medio sale murmura uoluens,

Gradiuo sacer et spoliis ditissimus amnis,
 donat equos, donat uotas cui uirgo secures,

cum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
 Massageten Medumque trahens. est dura propago, 125

sanguinis est ollis genitor deus. hinc magis alta
 Haemonidae petere et monitus non temnere Phinei.

ipse autem comitum conuersus ad ora nouorum
 'uos mihi nunc pugnas' ait 'et uictricia' ductor

'Herculis arma mei uestrasque in litore Martis 130
 interea memorate manus.' sic fatur et aegro

corde silens audit cursus bellique labores
 uirginei, exciderit frenis quae prima remissis,
 semianimem patrius quam sanguine uexerit amnis,

quae pelta latus adque umeros nudata pharetris 135
 fugerit Herculeae mox uulnere prensa sagittae,
 utque securigeras stimulauerit Ira cateruas
 fleturusque pater, quantus duce terror in ipsa,
 qui furor in signis, quo balteus arserit auro.

Nocte sub extrema clausis telluris ab antris 140
 peruigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
 ruricolae, Gradiue, tui; sonat illa creatrix
 prima manus belli terras crudelis in omnes.

nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
 eruerent ensesque darent, Odia aegra sine armis 145
 errabant Iraeque inopes et segnis Erinys.

inde Genetaei rupem Iouis, hinc Tibarenum
 dant uirides post terga lacus, ubi deside mitra
 feta ligat partuque uirum fouet ipsa soluto.
 uos quoque non notae mirati uela carinae 150

Mossyni, uos et stabulis Macrones ab altis
 Byzeresque uagi Philyraeque a nomine dicta
 litora, quae cornu pepulit Saturnus equino.

Ultimus inde sinus saeuumque cubile Promethei
 cernitur, in gelidas consurgens Caucasus arctos. 155

ille etiam Alciden Titania fata morantem
 attulerat tum forte dies; iamque aspera nisu
 undique conuellens ueteris cum strage pruinae
 uincula prensa manu saxis abduxerat imis
 arduus et laeuo grauior pede; consonat ingens 160
 Caucasus, et summo pariter cum monte secutae
 incubuere trabes abductaque flumina ponto.

fit fragor, aetherias ceu Iuppiter arduus arces
 inpulerit, imas manus aut Neptunia terras.
 horruit inmensum Ponti latus, horruit omnis 165

Armeniae praetentus Hiber, penitusque recusso
 aequore Cyaneas Minyae timuere relictas.

tum gemitu propiore chalybs densusque reuulsis
 rupibus audiri montis labor et graue Titan
 uociferans, fixos scopulis dum uellitur artus. 170

contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis

montibus Alciden dimissaue uota retemptet?)
 pergere iter socii; tantum mirantur ab alto
 litora discussa sterni niue ruptaque saxa
 et simul ingentem moribundae desuper umbram 175
 alitis adque atris rorantes imbribus auras.

Sol propius flammabat aquas, extremaque fessis
 coeperat optatos iam lux ostendere Colchos,
 magnus ubi aduersum spumanti Phasis in aequor
 ore ruit. cuncti pariter loca debita noscunt 180
 signaque commemorant emensasque ordine gentes,
 dantque ratem fluuio. simul aethere plena corusco
 Pallas et alipedum Iuno iuga sistit equorum.

Ac dum prima graui ductor subit ostia pulsu,
 populeos flexus tumulumque uirentia supra 185
 flumina cognati medio uidet aggere Phruxi,
 quem comes infelix pariter de marmore iuxta
 stat soror, hinc saeuae formidine maesta nouercae,
 inde maris pecudique timens inponere palmas.

sistere tum socios iubet adque hinc prima ligari 190
 uincula, ceu Pagasas patriumque intrauerit amnem.
 ipse graui patera sacri libamina Bacchi

rite ferens umbram uocat et sic fatur ad aras:
 'per genus adque pares tecum mihi, Phruxe, labores
 tu, precor, orsa regas meque his tuteris in oris 195
 tot freta, tot prora properanti sidera passum.

Phruxe, faue et patrias placidus reminiscere terras.
 tu quoque nunc, tumulo nequiquam condita inani,
 adnue diua maris numeroque accede tuorum.

quando egomet rursus per te uehar? aurea quando 200
 Seston et infaustos adgnoscent uellera fluctus?

uos etiam siluae, uos Colchidos hospitis orae,
 pandite, diues ubi pellis micet arbore sacra.

tunc tibi, fecundi proles Iouis, orte niuali
 Arcados axe deae, fluuio modo, Phasi, quieto 205
 Palladium patiare ratem, nec dona, nec arae
 defuerint tellure mea; reuerendaque natis
 effigies te, Phasi, manet, quam magnus Enipeus

et pater aurato quantus iacet Inachus antro.
 dixerat. adque illi dextra sine uersa magistri 210
 protinus in proram rediit ratis omine certo
 fluminis os pontumque tuens. 'promittis ut ecce
 utque uocas reuehemur' ait. sic deinde precatus
 arma iubet celsa socios depromere puppe.
 dona dehinc Bacchi casusque ut firmet in omnes 215
 rapta Ceres, uiridesque premunt longo ordine ripas.
 Incipe nunc cantus alios, dea, uisaeque uobis
 Thessalici da bella ducis. non mens mihi, non haec
 ora satis; uentum ad furias infandaque natae
 foedera et horrenda trepidam sub uirgine puppem: 220
 impia monstriferis surgunt iam proelia campis.
 ante dolos, ante infidi tamen exsequar astus
 Soligenae falli meriti meritique relinqui.
 [inde canens: Scythica senior iam Solis in urbe]
 fata laborati Phrixus compleuerat aeui. 225
 illius extremo sub funere mira repente
 flamma poli magnoque aries apparuit astro
 aequora cuncta mouens. at uellera Martis in umbra
 ipse sui Phrixus monumentum insigne pericli
 liquerat ardenti quercum complexa metallo. 230
 quondam etiam tacitae uisus per tempora noctis
 effigie uasta, socerumque exterruit ingens
 prodita uox: 'o qui patria tellure fugatum
 quaerentemque domos his me considerare passus
 sedibus, oblata generum mox prole petisti, 235
 tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
 rapta soporato fuerint cum uellera luco.
 praeterea infernae quae nunc sacrata Dianae
 fert castos Medea choros quemcumque procorum
 nacta peto maneat regnis ne uirgo paternis.' 240
 dixit et admota pariter fatalia uisus
 tradere terga manu, tum falso fusus ab auro
 currere per summi fulgor laquearia tecti.
 membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
 numen et eoo surgentes litore currus: 245

'praescie fatorum genitor, tutela meorum
 omnituens, tua nunc terris, tua lumina toto
 sparge mari; seu nostra dolos molitur opertos
 siue externa manus, primus mihi nuntius esto.
 tu quoque, sacrata rutilant cui uellera quercu, 250
 excubias, Gradiue, tene; praesentia lucò.
 arma tubaeque sonent, uox et tua uocibus extet.'
 uix ea, Caucaseis cum lapsus montibus anguis,
 haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
 implicuit Graiumque procul perrexit ad orbem. 255
 ergo omnes prohibere minas praedictaque Phrixi
 inuigilat, plena necdum Medea iuuenta
 adnuitur thalamis Albani uirgo tyranni.

Interea auguriis monstrisque minacibus urbem
 territat ante monens semper deus et data seri 260
 signa mali; reddi iubet exitiale sacerdos
 uellus et Haemoniis infaustum mittere terris.
 contra Sole satus Phrixi praecepta uolutans
 aegro corde negat, nec uulgi cura tyranno,
 dum sua sit modo tuta salus. tunc ordine regi 265
 proximus et frater materno sanguine Perses
 increpitare uirum; sequitur duce turba reperto.
 ille furens ira solio se proripit alto,
 praecipitatque patres: ipsum qui talibus auctor,
 spem sibi iam rerum uulgi leuitate ferentem, 270
 ense ferit. rapit inde fugam crudelia Perses
 signa gerens omnemque quatit rumoribus arcton.
 iamque aderat magnis regum cum molibus urbi,
 primaque in aduersos frustratus proelia muros
 constiterat. datus et sociis utrimque cremandis 275
 ille dies alterque dies, cum Marte remisso
 debitus Aeaëis dux Thessalus adpulit oris.

Nox hominum genus et duros miserata labores
 rettulerat fessis optata silentia terris.
 at Iuno et summi uirgo Iouis intima secum 280
 consilia et uarias sociabant pectore curas.
 uirgo prior: 'magna pariter quos mole petamus?'

'cernis' ait 'Colchos habeant quae proelia, quique
 nunc status. hinc Perses, illinc non uiribus aequis
 apparat Aetes aciem. quibus addimur armis?' 285
 cui Iuno 'dimitte metus, ne proelia forte
 hic tibi grata negem; magnus manet aegida sudor
 et nostros iam sudor equos. stat pectore fixum
 Aetae sociare manus. scio perfida regis
 corda quidem (nullos Minyis exsoluet honores), 290
 uerum alios tunc ipsa dolos, alia orsa mouebo.'
 'sint, precor, haec; tua namque mihi comitanda potestas'
 Pallas ait, 'liceat Graeis ut reddere terris
 Aesonium caput et puppem, quam struximus ipsae,
 iactatam tandem nostro componere caelo.' 295

Talia tunc hominum superi pro laude mouebant.
 tristior at numquam tantoue pauentibus ulla
 nox Minyis egesta metu; nil quippe reperto
 Phaside, nil domitis actum Symplegados undis,
 cunctaque adhuc, magni ueniant dum regis ad urbem, 300
 ambigua et dubia rerum pendentia summa.
 praecipue Aesoniden uarios incerta per aestus
 mens rapit undantem curis ac multa nouantem.
 qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat,
 Pliadas ille mouens mixtumque sonoribus imbrem . 305
 horriferae niuem, canis ubi tollitur omnis
 campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli
 aut alios dubiis fatorum gentibus ortus:
 sic tum diuersis hinc adque hinc motibus anceps
 pectora dux crebro gemitu quatit, optat et alium 310
 iam iubar et certi tandem discriminis horas.
 tunc defixa solo coetuque intenta silenti
 uersus ad ora uirum 'quod pridem ingentibus ausis
 optauistis' ait 'ueterumque quod horruit aetas,
 adsumus en tantumque fretis enauimus orbem. 315
 nec pelagi nos mille uiae, nec fama fefellit
 Soligenam Aeten media regnare sub arcto.
 ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
 urbis et ignoti mens experienda tyranni.

adnuet ipse, reor; neque inexorabile certe 320
 quod petimus: sin uero preces et dicta superbus
 respuerit, iam nunc animos firmate repulsae,
 quaque uia patriis referamus uellera terris,
 stet potius: rebus semper pauor absit in artis.
 dixerat, et Scythicam qui se comitentur ad urbem 325
 sorte legit, numeroque nouem ducuntur ab omni.
 inde uiam qua Circaeï plaga proxima campi
 corripiunt regemque petunt iam luce reducta.
 Sorte deum uariis per noctem territa monstribus,
 senserat ut pulsas tandem Medea tenebras, 330
 rapta toris primi iubar ad placabile Phoebi
 ibat et horrendas lustrantia flumina noctes.
 namque soporatos tacitis in sedibus artus
 dum premit alta quies nullaeque in uirgine curae,
 uisa pauens castis Hecates excedere lucis; 335
 dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter
 pontus et ingenti circum stupefacta profundo,
 fratre tamen conante sequi: mox stare pauentes
 uiderat intenta pueros nece seque (tremendum!)
 spargere caede manus et lumina rumpere fletu. 340
 his turbata minis fluuios ripamque petebat
 Phasidis aequali Scythidum comitante caterua.
 florea per uerni qualis iuga duxit Hymetti
 aut Sicula sub rupe choros hinc gressibus haerens
 Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae, 345
 altior ac nulla comitum certante, prius quam
 palluit et uiso pulsus decor omnis Auerno:
 talis et in uittis geminae cum lumine taedae
 Colchis erat nondum miseros exosa parentes.
 ut procul extremi gelidis a fluminis undis 350
 prima uiros tacito uidit procedere passu,
 substitit ac maesto nutricem adfata timore est:
 'quae manus haec, certo ceu me petat agmine, mater,
 aduenit haut armis, haud umquam cognita cultu?
 quaere fugam, precor, et tutos circumspice saltus.' 355
 audit uirginei custos grandaeva pudoris

Henioche, cultus primi cui creditus aeui;
 tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
 'non tibi ab hoste minae nec uis' ait 'ulla propinquat
 nec metus; externo iam flammea murice cerno 360
 tegmina, iam uittas frondemque inbellis oliuae.
 Graius adest, Graio sunt cuncta simillima Phrixo.'

Sic ait. at Iuno, pulchrum longissima quando
 robur cura ducis magnique edere labores,
 mole noua et roseae perfudit luce iuuentae. 365
 iam Talaum iamque Ampyciden astroque comantes
 Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.

non secus, autumnu quam cum magis asperat ignes
 Sirius et saeuo cum nox accenditur auro
 luctiferas crinita faces, hebet Arcas et ingens 370
 Iuppiter; ast illum tardo non gliscere caelo
 uellet ager, uellent calidis iam roribus amnes.

regina, attonito quamquam pauor ore silentem
 exanimet, mirata tamen paulumque reductis
 passibus in solo stupuit duce. nec minus inter 375
 ille tot ignoti socias gregis haeret in una
 defixus sentitque ducem dominamque cateruae.

'si dea, si magni decus huc ades' inquit 'Olympi,
 has ego credo faces, haec uirginis ora Dianae,
 teque renodatam pharetris ac pace fruentem 380
 ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae.
 sin domus in terris adque hinc tibi gentis origo,
 felix prole parens, olimque beatior ille,
 qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis.

sed fer opem, regina, uiris. nos hospita pubes 385
 aduehimur, Graium proceres tua tecta petentes.
 duc, precor, ad uestri quicumque est ora tyranni,
 ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
 nam mihi sollicito deus ignaroque locorum
 te dedit; in te animos adque omnia nostra repono.' 390

Dixit et opperiens trepidam stetit. illa parumper
 uirgineo cunctata metu sic orsa uicissim:
 'quem petis Aeeten, genitor meus, ipsaque iuxta

moenia, si binos possis discernere calles.
 hac ideo duce ferte gradus; ingentia namque 395
 castra alios aditus adque impius obsidet hostis.
 dixerat haec patriumque uiam detorquet ad amnem,
 sacraque terrificae supplex mouet inrita Nocti.
 Ille autem inceptum famula duce protinus urget
 aere saeptus iter, patitur nec regia cerni 400
 Iuno uirum, prior Aeetae ne nuntius adsit.
 iamque inerat populo mediaeque incognitus urbi,
 cum comes orsa loqui. 'Phoebi genitoris ad aras
 uentum' ait. 'huc adytis iam se de more paternis
 rex feret; hic proceres audit populosque precantes 405
 adloquiis facilis: praesens pater admonet aequi.'
 Dixerat. ast illi propere monstrata capessunt
 limina. non aliter, quam si radiantis adirent
 ora dei uerasque aeterni luminis arces:
 tale iubar per tecta micat. stat ferreus Atlans 410
 Oceano genibusque tumens infringitur unda;
 at medii per terga senis rapit ipse nitentes
 altus equos curuoque diem subduxit Olympo;
 pone rota breuiore soror densaeque sequuntur
 Pliades ec madidis rorantes crinibus imbres. 415
 nec minus hinc uaria dux laetus imagine templi
 ad geminas fert ora fores cunabula gentis
 Colchidos hic ortusque tuens; ut prima Sesostris
 intulerit rex bella Getis, ut clade suorum
 territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem, 420
 Phasidis hos inponat agris Colchosque uocari
 imperet: Arsinoen illi tepidaeque requirunt
 otia laeta Phari pinguemque sine imbribus annum,
 hi iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
 barbarus in patriis sectatur montibus Aean 425
 Phasis amore furens: puidas iacit illa pharetras
 uirgineo turbata metu discursibus et iam
 deficit, ac uolucris uictam deus alligat unda.
 flebant populeae iuuenem Phaethonta sorores,
 ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem; 430

at iuga uix Tethys sparsumque recolligit axem
 et formidantem patrios Pyroenta dolores.
 aurea quin etiam praesaga Mulciber arte
 uellera uenturosque olim caelarat Achiuos.
 textitur Argoa pinus Pagasaea securi, 435
 iamque eadem remos, eadem dea nectit habenas;
 ipsa subit nudaque uocat dux agmina dextra.
 exoritur notus et torto ratis acta profundo
 cernitur; Odryσιο gaudebant carmine phocae.
 apparent trepidi per Phasidis ostia Colchi 440
 clamantemque procul linqvens regina parentem.
 urbs erat hinc contra gemino circumflua ponto,
 ludus ubi et cantus taeda pernocte iugales
 regalique toro laetus gener: ille priorem
 deserit; ultrices spectant a culmine dirae. 445
 deficit in thalamis turbataque paelice coniunx
 pallam et gemmiferae donum exitiale coronae
 apparat ante omnes secum dequesta labores.
 munere quo patrias paelex ornatur ad aras
 infelix; et iam rutilus correpta uenenis 450
 implicat igne domus. haec tum miracula Colchis:
 struxerat ignipotens nondum noscentibus, ille
 quis labor, aligeris aut quae secet anguibus auras
 caede madens: odere tamen uisusque reflectunt.
 Quin idem Minyas operum defixerat horror, 455
 cum se Sole satus patriis penetralibus infert.
 filius hunc iuxta primis Absyrtus in annis,
 dignus auo quemque insontem meliora manerent.
 tum gener Albanis Styrys qui aduenerat oris,
 distulerant sed bella toros; tum Phrontis et Argus 460
 Aeolidae fraterque Melas, quos aduena Phrixus
 progenuit; pariterque leui Cytisorus in hasta.
 post alii, quos praecipuo Titania tellus
 legit honore patres, motique ad proelia reges.
 admonet hic socios nebulamque erumpit Iason, 465
 siderea ora ferens; noua lux offusa Cytaeis.
 conueniunt stipantque uiros rogitantque, quid ausi

quidue ferant. postquam primis inhiantia dictis
 agmina supressumque uidet iam murmur Iason,
 talia miranti promptus tulit orsa tyranno: 470
 'rex Hyperionide, quem per freta tanta petendum
 caelicolae en prima dignum statuere carina,
 siquando hic aliquam nostro satus orbe solebat
 Thessaliam, siquos Phrixus memorare Pelasgos:
 hi tibi, tot casus, horrenda tot auia mensi, 475
 cernimur. ipse egomet proprio de sanguine Phrxi:
 namque idem Cretheus ambobus et Aeolus auctor
 cum Ioue Neptunoque et cum Salmonide nympha.
 meque nec huc enses araeque egere paternae,
 nec tua, Thessalicis quamquam inclita nomina terris, 480
 sponte sequor. cui non iusso tot adire uoluptas
 monstra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
 scepra tui toto Pelias sub momine Phoebi
 maxima sorte tenens, totque ille prementia cliuos
 oppida, tot iugi pulcherrima flumina cornu; 485
 ille meum imperiis urget caput, ille labores
 dat uarios, suus ut magnum rex spargit ab Argis
 Alciden, Sthenelo ipse satus. tamen aspera regum
 perpetimur iuga, nec melior parere recuso.
 hic sibi me auratae pecudis quiscumque periclis 490
 exuuias perferre iubet. tibi gratia nostri
 sit, precor, in meritisque loces, quod iussa recepi
 teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
 promisi et meliora tuae mihi foedera dextrae.
 si petere hoc saeui statuissem sanguine belli, 495
 Ossa dabat Pindusque rates quotque ante secuti
 inde nec audacem Bacchum nec Persea reges.
 sed me nuda fides sanctique potentia iusti
 huc tulit ac medii sociatrix gratia Phrxi;
 namque tibi nostra geniti de stirpe nepotes. 500
 nec tamen aut Phrygios reges aut arua furentis
 Bebryciae spernendus adi: seu fraude petiuit
 seu quis honore meos, sua reddita dona deumque
 nos genus atque ratem magnae sensere Mineruae.

uix tandem longis quaesitam Colchida uotis 505
 contigimus, qualemque dabat te fama uidemus.
 tu modo ne claros Minyis inuideris actus.
 non aliena peto terrisue indebita nostris;
 siquis et in precibus uero locus, ecce ea Phrixo
 crede dari, Phrixum ad patrios ea ferre penates. 510
 munera tu contra uictum mihi uecta per aequor
 accipe Taenarii chlamydem de sanguine aeni
 frenaque et accensum gemmis fulgentibus ensem:
 hoc patrium decus, haec materni texta laboris,
 his Lapithes adsuerat eques. da iungere dona, 515
 da Scythicas sociare domos: sciat effera regis
 ira mei, quem te horrifero sortitus in axe
 Caucasus adque tuis quantum mitescat habenis.'

Talibus orantem uultu grauis ille minaci
 iamdudum premit et furiis ignescit opertis. 520
 ceu tumet adque imo sub gurgite concipit austros
 unda silens, trahit ex alto sic barbarus iras,
 et nunc ausa uiri, nunc heu! sua prodita Grais
 regna fremit, quin et facili sibi mente receptum
 iam Phrixum dolet et Scythiae periisse timores. 525
 nunc quassat caput ac iuuenis spes ridet inanes,
 quid uesanus agat, quod uellera poscat ab angue.
 urit et antiquae memorem uox praescia sortis,
 cur simul aut Persen illinc sibi mouerit aut hinc
 Thessalicam Fortuna ratem; num debitus ista 530
 finis agat saeuaeque petant iam uellera Parcae.
 interea quoniam belli pugnaeque propinquae
 cura prior, fingit placidis fera pectora dictis
 reddit et haec: 'cuperem haut tali uos tempore tectis
 aduenisse meis, quo me grauis adsidet hostis. 535
 frater enim (scepri sic omnibus una cupido)
 excidium parat et castris me ingentibus urget.
 quare age cognatas primum defendite sedes,
 nec decus oblatis dimiseris aduena belli;
 namque uirum trahit ipse chalybs. tum uellera uictor 540
 tam meritis, nec sola dabo.' contra inscius astus

'ergo nec hic nostris derat labor arduus actis'
 excipit Aesonides 'et ceu nihil aequore passis
 additus iste quies? ueniant super haec quoque fato
 bella meo. non hunc parua mihi caede dolorem 545
 quasque dedit luet ille moras.' tum Castora mittit,
 qui ferat Aeaei sociis responsa tyranni.

acribus ast illos curis mora saeua trahebat,
 ac simul ut medio uiderunt Castora campo,
 crebrior incessit mentem pauor. 'o Iouis alma 550
 progenies, fare, an patriam spes ulla uidendi,
 fare' omnes. ille in mediis sic orsus Achiuis:
 'nec ferus Aetes, ut fama, nec aurea nobis
 terga negat; bello interea sed pressus iniquo
 auxilium petit; armatos dux protinus omnes 555
 adcelerare iubet; longo nam tuta recessu
 puppis et adposita fluuius defenditur urbe.'

Haud mora; prosiliunt, quos nec Riphaea iuuentus,
 quos nec Hiber aut tota suis Aurora pharetris
 sustineat. stetit explicito prius agmine pubes, 560
 expertique simul, si tela artusque sequantur.

nec quisquam freta nec patrias iam respicit urbes,
 sed magis ad praesens itur decus. incita cristas
 aura quatit, uariis floret uia discolor armis,
 qualis ab Oceano uolucrum chorus aethera uestit, 565
 qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.

illos Sole satus tacita maestissimus ira
 miratur temere adsumtos, nec talia mallet
 robora, quam medios hostem subiisse penates.
 interea laeto patitur conuiuia uultu 570

et iuxta Aesoniden magno cratere lacessit
 nunc sibi monstrantem natos Iouis oraque iuxta
 Aeacidum, nunc ingentis Calydonos alumnos;
 audit et Alciden infando errore relictum
 defletosque duces terraeque marisque labores. 575

ipse autem tantis concita furoribus arma
 expetit Aesonides et amicos ordine reges:
 'quis procul ille uirum nobis, quem balteus asper

subligat et stricto stat proximus armiger arcu,
 ceu pugnam paret et positas confundere mensas? 580
 contra flammigeri proles Perseia Solis
 'quem rogitas, Carmei' ait; 'mos cominus arma
 semper habere uiro, semper meminisse pharëtræ.'
 'illum' ait Aesonides 'pariter refer, horrida signis
 cui chlamys et multa spirat coma flexilis aura.' 585
 respicit Aetes adque hunc quoque nomine reddit:
 'diues Aron; croceos sic illius omnis odores
 iactat eques, cunctis sic est coma culta maniplis:
 sed ne sperne uirum et comptis diffide capillis.
 Campos hic spoliis in tigridis; ille profundo 590
 incumbens Odrussa mero; uide lata comantem
 pectora et ingenti turbantem pocula barba.'
 hunc et laxarten dictis stupet hospes acerbis
 inmodicum linguaque grauem, cui multa minanti
 non superum, non praesentis reuerentia Phoebi. 595
 contra autem Aetes 'non frustra magna superbo
 dicta uolant' ait 'et uocem paria arma secuntur;
 nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget;
 atque ubi Riphaea stupuerunt flumina bruma,
 iam pauidi cum prole Getae, iam peruigil illum 600
 Medus et oppositis expectat Hiberia claustris.
 quid Latagum, quid si amnigenam mirere Choaspen?
 bellatoris equi potantem cerne cruores;
 nec tamen inmissis hic segnior ibit habenis.
 hos autem quae quemque manus, quae signa sequantur, 605
 si memorem, prius umentem lux soluerit umbram.
 cras acies atque illa ducum cras regna uidebis
 dissona, saxiferae surgat quibus imber habenae,
 quae iaculo gens apta leui, quae picta pharetris
 uenerit. ingentes animo iam prospice campos, 610
 atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
 Euryalen, quibus exultet Mauortia turmis
 et quantum elata ualeat peltata securi,
 cara mihi et ueras inter non ultima natas.'
 fatur et occiduo libat cratera parenti. 615

quisque suis tum uota deis et pocula fundit,
dent aciem, dent belligeros superare labores.

Ecce autem Geticis ueniens Gradius ab antris
ingentemque trahens arctoa per aequora nubem
aspicit Aeaea Minyas stupefactus in urbe 620
ambitumque senem promissaque uellera pubi
Thessalicae. citus ad summi stellantia patris
tectata ruit questuque Iouem testatur acerbo:
'quae studiis, rex magne, quies? iam mutua diui
exitia in solos hominum molimur honores, 625
teque ea cuncta iuuant, rabidam qui Pallada caelo
non abigis neque femineis obicem struis ausis.
non queror, extracta quod uexerit ipsa carina
uellera sacra meis sperantem auertere lucis,
quodque palam tutata uiros: sic cetera pergit, 630
si ualet. insidiis quid non fallacibus ambit,
nostra ut Phrixeo spolientur templa metallo?
non opus auxilio Colchis nec foedere uestro:
et Persen simul et Minyas depreciamur hostes.
quin age, quid tantae coeunt in proelia gentes? 635
quid tuus Aesonides? imus nos, protinus imus
in nemus auriferum et sumptis decernimus armis.
uel tu sola polo tacitis inopina tenebris
labere: quantus ibi deus experiere nec illas
adstiteris inpune trabes. an Martia templa 640
intemeranda minus, curtus mihi lucus et agger
quod rudis et sola colimur si gentibus umbra?
est amor et rerum cunctis tutela suarum.
et tibi, magne pater, terris donaria certant,
est honor his etiam suus. en ego clara Mycenae 645
culmina, uirgineas praeder si Cecropis arces,
iam coniunx, iam te gemitu lacrimisque tenebit
nata querens. metuant ergo nec talia poscant.'

Non tulit haec animis, quin longa silentia Pallas
rumpere et inridens strepitumque minasque Gradiui 650
'non tibi Aloidae, quibus haec fera murmura iactes,
non Lapithae, sed Pallas' ait; 'neque ego aegide digna,

nec uocer ulterius proles Iouis, excidat iste
 ni tibi corde tumor: lituos miser armaque faxo
 oderis et primis adimam tua numina bellis. 665
 quin simili matrem, demens, rabie ante petisti?
 digna quidem, monstrum superis quae tale creauit.
 quod tamen adgressae scelus aut quo crimine sontes,
 si iuuenem, qui iussa sui tam dira tyranni
 inpavidus maria et nondum qui nota subibat, 660
 iuimus et magnis aliquam spem mouimus ausis?
 an nullas perferre preces nec foedera regis
 ulla sequi, caeca sed cuncta inpellere pugna
 debuimus? sic Thraces agunt, sic turbidus iste,
 siqua petit. cuperem haec etiam nunc bella remitti 665
 nec socias armare manus. da uellera, rector,
 et medio nos cerne mari. quod sin ea Mauors
 abnegat et solus nostris sudoribus obstat,
 ibimus indecores frustra que tot aequora uectae?
 mas aliquae nequeat, si femina.' coeperat ardens 670
 hic iterum alternis Mauors insurgere dictis.
 excipit hinc contra pater et sic uoce coerces:
 'quid uesane fremis? cum uos iam poenitet acti
 peccatumque satis, tunc ad mea iura uenitis.
 quolibet ista modo, quacumque inpellite pugna, 675
 quae coepistis, habent quoniam sua fata furores.
 te tamen hoc, coniunx, et te, mea nata, monebo:
 sit Persen pepulisse satis, nec uana retentet
 spes Minyas finemue uelint inponere bello.
 illum etenim talis rerum manet, accipite, ordo. 680
 uicta retro nunc castra dabit bellumque remittet
 territus aduentu ducis et uirtute Pelasgi:
 mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
 tunc aderit uictorque domos et sceptrum tenebit,
 donec et Aeeten inopis post longa senectae 685
 exilia heu magnis quantumlibet inopia fatis
 nata iuuet Graiusque nepos in regna reponat.
 hic labor amborumque haec sunt discrimina fratrum.
 uadite et aduersis, ut quis uolet, inruat armis.'

Dixerat. instaurat mensas pacemque reducit,
et iam sideream noctem demittit Olympo. 690
tunc adsuetus adest Phlegraeas reddere pugnas
Musarum chorus et citharae pulsator Apollo,
fertque grauem Phrygius circum cratera minister.
surgitur in somnos seque ad sua limina flectunt. 695

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER SEXTUS.

At uigil isdem ardet furiis Gradius et acri
corde tumet nec quas acies, quae castra sequatur,
inuenit; ire placet tandem praesensque uidere,
sternere si Minyas magnoque rependere luctu
regis pacta queat Graiamque absumere pubem. 5
inpulit hinc currus, monstrum inreuocabile belli
concutiens, Scythiaeque super tentoria sistit.
protinus e castris fugit sopor; excita tela,
turbati coiere duces: hos insuper ingens
fama mouet, rate quae sacra uulgabat Achiuos 10
aduenisse sui repetentes uellera Phrivi,
quos malus hospitio iunctaque ad foedera dextra
luserit Aetes adque in sua traxerit arma.
Ergo, consiliis dum nox uacat alta mouendis,
legatos placet ire duces, mandataque Perses 15
edocet, adfari Minyas fraudemque tyranni
ut moneant. quinam hinc animos auerterit error?
se primum Haemoniis hortatum ea uellera terris
reddere et exuuias pecudis dimittere sacrae:
hinc odium et tanti uenisse exordia belli. 20
quin potius dextramque suam suaque arma sequantur,
aut remeent; neque enim Aetae promissa fidemque
esse loco; abstineant alienae sanguine pugnae.
non illos ideo tanti uenisse labores

per maris. ignotis quid opus concurrere nec quos 25
 oderis? haec medio Perses dum tempore mandat,
 aureus ecfulsit campis rubor, armaque et acres
 sponte sua strepuere tubae. Mars saeuus ab altis
 'hostis io,' conclamat equis 'agite ite, propinquat,'
 ac simul hinc Colchos, hinc fundit in aequora Persen. 30
 tunc gens quaeque suis commisit proelia telis,
 uoxque dei pariter turmas audita per omnes.

Hinc age Riphaeo quos uideris orbe furores,
 Musa, mone; quanto Scythiam molimine Perses
 concierit, quis fretus equis per bella uirisque. 35

uerum ego nec numero memorem nec nomine cunctos
 mille uel ora mouens; neque enim plaga gentibus ulla
 ditior: aeterno quamquam Maeotia pubes
 Marte cadat, pingui numquam tamen ubere defit,
 quod geminas arctos magnumque quod inpleat anguem. 40
 ergo duces sociasque, deae, mihi promite gentes.

Miserat ardentis, mox ipse secutus, Alanos
 Heniochosque truces iam pridem infensus Anausis,
 pacta quod Albano coniunx Medea tyranno;
 nescius heu, quanti thalamos ascendere monstri 45
 arserit atque urbes maneat qui terror Achaeas,
 gratior ipse deis orbaque beatior aula.

proxima Bisaltae legio ductorque Colaxes,
 sanguis et ipse deum, Scythicis quem Iuppiter oris
 progenuit uiridem Myracen Tibisenaque iuxta 50
 ostia, semifero (dignum si credere) captus
 corpore, nec nymphae geminos exhorruit angues.

cuncta phalanx insigne Iouis caelataque gestat
 tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes;
 nec primus radios, miles Romane, corusci 55
 fulminis et rutilas scutis diffuderis alas.

insuper auratos collegerat ipse dracones,
 matris Horae specimen, linguisque aduersus utrimque
 congruit et tereti serpens dat uulnera gemmae.
 tertius unanims ueniens cum milibus Auchus 60
 Cimmerias ostentat opes, cui candidus olim

crinis inest, natale decus (dat longior aetas
 iam spatium); triplici percurrens tempora nodo
 demittit sacro geminas a uertice uittas.

Datin Achaemeniae grauior de uulnere pugnae 65
 misit in arma Daraps, acies quem Martia circum
 Gangaridum, potaque Gerus quos efferat unda,
 quique lacum cinxere Bycen. non defuit Anxur,
 non Rhadalo cum fratre Sidon, Acesinaque laeuo
 omine fatidicae Phrixus mouet agmina ceruae. 70
 ipsa comes, saetis fulgens et cornibus aureis,
 ante aciem celsi uehitur gestamine conti
 maesta nec in saeuae lucos reditura Dianae.
 mouit et Hylaea supplex cum gente Syenen
 in pia germani praetendens uulnera Perses. 75
 densior haut usquam nec celsior extulit ulla
 silua trabes, fessaeque prius rediere sagittae

 quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris
 Cyris in arma uiros, plaustrisque ad proelia cunctas 80
 Coelaetae traxere manus; ibi subtilis illis
 et domus et crudo residens sub uellere coniunx
 et puer e primo torquens temone cateias.
 linquitur abruptus pelago Tyra, linquitur et mons
 Ambenus et gelidis pollens Ophiusa uenenis. 85
 degeneresque ruunt Sindi glomerantque paterno
 crimine nunc etiam metuentes uerbera turmas.
 hos super aeratam Phalces agit aequore pubem
 cum fremitu, densique leuant uexilla Coralli,
 barbaricae quis signa rotae ferrataque dorso 90
 forma suum truncaequae Iouis simulacra columnae;
 proelia nec rauco curant incendere cornu,
 indigenas sed rite duces et prisca suorum
 facta canunt ueterumque uiris hortamina laudes.
 ast ubi Sidonias inter pedes aequat habenas, 95
 illinc iuratos in se trahit Aea Batarnas,
 quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat
 aequaque nec ferro breuior nec rumpia ligno.

nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
 hiberni qui terga Noae gelidumque securi 100
 eruit et tota non audit Alazona ripa;
 quosque Taras niueumque ferax Euarchus olorum.
 te quoque uenturis, ingens Ariasmene, saeculis
 tradiderim, molem belli lateque ferentem
 undique falcatos deserta per aequora currus. 105
 insequitur Drancaea phalanx claustrisque profusi
 Caspiadae, quis turba canum non segnius acres
 exilit ad lituos pugnasque capessit eriles.
 inde etiam par mortis honos, tumulisque recepti
 inter auos oculisque uirum; nam pectora ferro 110
 terribilesque innexa iubas ruit agmine nigro
 latratuque cohors, quanto sonat horrida Ditis
 ianua uel superas Hecates comitatus in auras.
 ducit ab Hyrcanis uates sacer agmina lucis
 Vanus; eum Scythiae iam tertia uiderat aetas 115
 magnanimos Minyas Argoaque uela canentem.
 illius et dites monitis spondentibus Indi
 et centumgeminae Lagea noualia Thebes
 totaque Riphaeo Panchaia rapta triumpho.
 discolor hastatas effudit Hiberia turmas, 120
 quas Otaces, quas Latris agunt et raptor agrorum
 Neurus, et expertes canentis Iazyges aeui.
 namque ubi iam uiresque aegrae motusque refutat
 arcus et inceptus iam lancea temnit erilis,
 magnanimis mos ductus auis, haut segnia mortis 125
 iura pati, dextra sed carae occumbere prolis
 ense dato; rumpuntque moras natusque parensque,
 ambo animosi, ambo miseri tam fortibus actis.
 hic et odorato spirantes crine Siraci
 Cessaeaeque manus, et qui tua iugera nondum 130
 eruis, ignotis insons Arimaspe metallis.
 doctus et Auchates patulo uaga uincula gyro
 spargere et extremas laqueis adducere turmas.
 non ego sanguineis gestantem tympana bellis
 Thyrsageten cinctumque uagis post terga silebo 135

pellibus et nexis uiridantem floribus hastas.
 fama, ducem Iouis et Cadmi de sanguine Bacchum
 hac quoque turiferos, felicia regna, Sabaeos,
 hac Arabas fudisse manu; mox rumperet Hebri
 cum uada, Thyrsagetas gelida liquisse sub arcto. 140
 illis omnis adhuc ueterum tenor et sacer aeris
 pulsus et ecae memoratrix tibia pugnae.
 iungit opes Emoda suas; sua signa secuti
 Exomatae Torynique et flauī crine Satarchae;
 mellis honor Torynis, ditant sua mulctra Satarchen, 145
 Exomatas uenatus alit, nec clarior ullis
 arctos equis; abeunt Hypanin fragilemque per undam
 tigridis aut saeuae profugi cum prole leaenae,
 maestaque suspectae mater stupet aggere ripae.
 inpulit et dubios Phrixei uelleris ardor 150
 Centoras et diros magico terrore Choatras.
 omnibus in superos saeuus honor, omnibus artes
 monstrificae: nunc uere nouo conpescere frondes,
 nunc subitam trepidis Maeotin soluere plaustris.
 maximus hos inter Stygia uenit arte Coastes; 155
 sollicitat nec Martis amor, sed fama Cytacae
 uirginis et paribus spirans Medea uenenis.
 gaudet Auerna palus, gaudet iam nocte quieta
 portitor et tuto ueniens Latonia caelo.
 ibant et geminis aequantes cornibus alas 160
 Balloniti comitumque celer mutator equorum
 Moesus et ingentis frenator Sarmata conti.
 nec tot ab extremo fluctus agit aequore nec sic
 fratribus aduersa Boreas respondet ab unda
 aut is apud fluuios uolucrum canor, aethera quantus 165
 tunc lituum concentus agit lymphataque miscet
 milia, quot foliis, quot floribus incipit annus.
 ipse rotis gemit ictus ager tremibundaque pulsu
 nutat humus, quatit ut saeuo cum fulmine Phlegram
 Iuppiter adque imis Typhona reuerberat aruis. 170
 Prima tenent illinc patriis Absyrtus in armis
 et gener ingentesque inter sua milia reges.

at circa Aesoniden Danaum manus ipsaque Pallas
 aegide terrifica, quam nec dea lassat habendo
 nec pater horrentem colubris uultuque tremendam 175
 Gorgoneo. nec semineces ostendere crines
 tempus adhuc primasque sinit concurrere pugas:
 inpulit hos contra Mauors pater et mala leti
 Gaudia Tisiphoneque caput per nubila tollens
 ad sonitum litui mediaque altissima pugna 180
 necdum certa quibus sese Fuga mentibus addat.

Illi ubi consertis iunxere frementia telis
 agmina uirque uirum galeis adflauit adactis,
 continuo hinc obitus perfractaque caedibus arma
 corporaque, alternus cruor alternaeque ruinae; 185
 uoluit ager galeas et thorax egerit imbres
 sanguineos; hinc barbarici glomerantur ouatus,
 hinc gemitus, mixtaeque uirum cum puluere uitae.
 Caspius Aeaem correpto crine Monesen
 abstulit; hunc pariter Colchi Graique sequuntur 190
 missilibus; rapit ille pedem praedamque relinquit,
 nec sociis iam cura uiri. Dipsanta Caresus
 Strymonaque obscura spargentem uulnera funda
 deicit; Albani cadit ipse Cremedonis hasta,
 iamque latet currusque super turmaeque feruntur. 195

Processere Melas et Idasmenus; incipit hasta
 ante Melas, leuis ast abies elusit utrumque.
 ensibus inde ruunt; prior occupat aere citato
 cassidis ima Melas; infracta est uulnere ceruix.
 mixta perit uirtus: nescit cui debeat Ocheus, 200
 aut cui fata Tyres. dum sibila respicit Iron
 cuspidis Argiuae, Pyliam latere accipit hastam.

Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres
 Castor equis, pater armento quos diues ab omni
 nutrierat fatisque uiam monstrarat iniquis. 205
 tum magis adque magis peditem candore notato
 Tyndariden incendit amor, simul obuius hastam
 pectus in aduersum Gelae iacit alipedemque
 adstitit excusso uictor duce; risit ab alta

nube pater prensisque equitem cognouit habenis. 210
 at pariter luctuque furens uisuque Medores
 Tyndariden petit et superos sic uoce precatur:
 'nunc age uel caeso comitem me reddite fratri
 primus uel nostra sonipes cadat impius hasta,
 credita qui misero non rettulit arma parenti 215
 meque uenit contra captiuoque terga ministrat.'
 dixerat; Actaei sed eum prior hasta Phaleri
 deicit; ad socias sonipes citus effugit alas.
 Quis tibi fatales umquam metuisset Amyclas
 Oebaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter 220
 diuiso totidemque fretis? cadit inpiger una
 inguine transosso clari Taulantis alumnus
 semidea genetrice Tages, cui plurima siluis
 peruigilat materna soror cultusque laborat.
 tenuia non illum candentis carbasa lini, 225
 non auro depicta chlamys, non flaua galeri
 caesaries pictoque iuuant sub tegmine bracae.
 iamque nouus mediae stupefacta per agmina pugnae
 uadit eques densa spargens hastilia dextra,
 fulmineumque uiris profusis ingerit ensem 230
 huc alternus et huc; cum saeuior ecce iuuentus
 Sarmaticae coiere manus fremitusque uirorum
 semiferi; riget his molli lorica catena;
 id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
 et caput ingentem campis hostilibus umbram 235
 fert abies obnixa genu uaditque uirum ui,
 uadit equum, docilis relegi docilisque reponi
 atque iterum medios non tardior ire per hostes.
 orbibus hos rapidis mollique per aequora Castor
 anfractu leuioris equi deludit anhelos 240
 inmemoresque mori; sed non isdem artibus aequae
 concurrunt ultroque ruunt in funera Colchi.
 Campesus inpacta latus inter et ilia quercu.
 tollitur ac mediam moriens descendit in hastam.
 Oebasus infestum summisso poplite Phalcen 245
 euasisse ratus laeuum per luminis orbem

transigitur; tenerae tinguuntur uulnere malae.
 contra autem geminis fidens thoracibus ictum
 sustinet et gladio Sibotes ferit ultima teli,
 nequiquam; iam cuspis inest, nec fragmina curat 250
 Ambenus et trunco medium subit Ocrea ligno.
 seminecem Taxes Hypanin uehit atque remissum
 pone trahit fugiens et cursibus exuit hastam;
 dumque recollectam rursus locat, inruit ultro
 turbatumque Lacon et adhuc inuadit inermem. 255
 inpulit aduerso praeceps equus Onchea conto
 nequiquam totis reuocantem uiribus armos:
 in latus accepit sonipes, accepit et ipse
 frigidus; arma cadunt, rorat procul ultima cuspis;
 qualem populeae fidentem nexibus umbrae 260
 siquis auem summi deducat ab aere rami,
 ante manu tacita cui plurima creuit harundo;
 illa dolis uiscoque super correpta tenaci
 inplorat calamos adque inrita concitat alas.
 Parte alia infestis (nam fors ita iunxit) in armis 265
 Styrus adest, laetusque uirum cognoscit Anausis,
 et prior 'en cuius thalamis Aetia uirgo
 dicta manet nostrosque feret qui uictor amores.
 non' ait, 'inuitoque gener mutabere patri.'
 tum simul aduersas conlatis cursibus hastas 270
 coniciunt; fugit adductis Albanus habenis
 saucius adque datum leto non sperat Anausin,
 nec uidet. ille autem telo moribundus adacto
 'ad soceros pactaeque sinus en coniugis' inquit,
 'Styre, fugis, uulnus referens, quod carmine nullo 275
 sustineat nullisque leuet Medea uenenis.'
 dixerat, extremus cum lumina corripit error,
 uoxque repressa gelu percussaue uertice tellus.
 Hinc animos acies auget magnoque doloris
 turbine Gesandrum Mauors rapit: ille morantes 280
 increpat et stricto sic urget Iazygas ense:
 'nempe omnes cecidere senes, nempe omnis ademptus
 ante pater. quae uos subito tam foeda senectus

corripuit fregitque animos adque abstulit iras?
 aut mecum mediam, iuuenes, agite ite per urbis 285
 Argolicamque manum aut caris occumbite natis.
 sic furit et patrias coeptis ferus aduocat umbras:
 'sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
 suggere nunc animamque parem, si fata peroso
 tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi 290
 paruimus paruique eadem didicere nepotes'.
 haec ait, auditusque Erebo. tunc corripit ensem
 turbidus et furiis ardens quatit arma paternis.
 indigenis sacratus aquis magnique sacerdos
 Phasidis Arctois Aquites errabat in armis 295
 (populeus cui frontis honor contactaque glauco
 tempora nectuntur ramo), te, Cyrne, parentis
 immemorem durae cupiens abducere pugnae;
 iamque omnes inpune globos diuersaque lustrans
 agmina non usquam uidet. utque iterum acrior instat 300
 uociferans, iterum belli diuersa peragrat,
 lancea caeruleas circum strepit incita uittas.
 opprimit admissis ferus hinc Gesander habenis.
 ille manum trepidans adque inrita sacra tetendit
 'te' que 'per hanc genitor' inquit 'tibi si manet, oro 305
 canitiem, conpesce minas et sicubi nato
 parce meo.' dixit. contra sic uictor adacto
 ense refert: 'genitor, turpi durare senecta
 quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dextra
 maluit adque ultro segnes abrumpere metas. 310
 et tibi si pietas nati, si dextra fuisset,
 haut medii precibus tereres nunc tempora belli,
 praeda future canum. iuueni sors pulchrior omnis:
 et certasse manu decet et caruisse sepulchro.'
 dixerat; ille deos moriens caelumque precatur, 315
 dextera ne misero talis foret obuia nato.
 Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo
 fleuit ab inuita rapientem tela carina.
 iam Scythicos miserande sinus, iam Phasidis amnem
 contigeras, nec longa dies, ut capta uideres 320

uellera et Euboicis patrios de montibus ignes.
 illum, ubi congressu subiit Gesander iniquo,
 territat his: 'tu, qui faciles hominumque putasti
 has, Argiue, domos, alium hic miser aspicias annum
 altricemque niuem festinaque taedia uitae. 325
 non nos aut leuibus componere brachia remis
 nouimus aut uentos opus expectare ferentes;
 imus equis, qua uel medio riget aequore pontus
 uel tumida fremit Hister aqua; nec moenia nobis
 uestra placent: feror arctois nunc liber in aruis 330
 cuncta tenens; mecum omnia ago iacturaque plaustrum
 sola; epulae quodcumque pecus, quaecumque ferarum.
 mitte Asiae, mitte Argolicis mandata colonis,
 ne trepident; numquam has hiemes, haec saxa relinquam, 335
 Martis agros, ubi tam saeuo durauimus anpe
 progeniem natosque rudes, ubi copia leti
 tanta uiris. sic in patriis bellare pruinis
 praedarique iuuat, talemque hanc accipe dextram.'
 dixit, et Edonis nutritum missile uentis 340
 concitat; it medium per pectus et horrida nexu
 letifer aera chalybs. trepidus super aduolat Idas
 ac simul Oenides pariterque Menoetius et qui
 Bebrycio nuper remeauit ab hospite uictor.
 at uero ingentem Telamon procul extulit orbem 345
 exanimem te, Canthe, tegens; ceu saeptus in arto
 dat catulos post terga leo, sic comminus adstat
 Aeacides gressumque tenet contraque ruentes
 septeno ualidam circumfert tegmine molem.
 nec minus hinc urget Scythiae manus armaque Canthi 350
 quisque sibi et Graio poenam de corpore poscens.
 arduus inde labos medioque in funere pugna
 conseritur. magno ueluti cum turbine sese
 ipsius Aeoliae frangunt in limine uenti,
 quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur 355
 illuuias: obnixa uirum sic comminus haeret
 pugna nec arrepto pelli de corpore possunt.
 ut bouis exuuias multo qui frangere oliuo

dat famulis, tendunt illi tractuque uicissim
 taurea terga domant, pingui fluit unguine tellus: 360
 talis utrimque labos, ruptataque limite in arto
 membra uiri miseranda madent. hi tendere contra,
 hi contra, alternaeque uirum non cedere dextrae.
 hinc medium Telamon Canthum rapit, hinc tenet ardens
 colla uiri et molles galeae Gesander habenas, 365
 insonuit quae lapsa solo dextramque fefellit.
 ille iterum in clipei septemplicis improbus orbem
 arietat et Canthum sequitur Canthumque reposit,
 quem manus a tergo socium rapit adque receptum
 uirginis Euryales curru locat. aduolat ipsa 370
 ac simul Haemonidae, Gesandrumque omnis in unum
 it manus. ille nouas acies et uirginis arma
 ut uidet, 'has etiam contra bellabimus?' inquit;
 'heu pudor!' inde Lycen ferit ad confine papillae,
 inde Thoen, qua pelta uacat; iamque ibat in Harpen 375
 uixdum prima leui ducentem cornua neruo,
 et labentis equi tendentem frena Menippen:
 cum regina grauem nodis auroque securem
 congeminans partem capitis galeaeque ferinae
 dissipat. hinc pariter telorum immanis in unum 380
 it globus; ille diu coniectis sufficit hastis,
 quis iam iam grauior nutansque exterruit Idam.
 tunc ruit ut montis latus aut ut machina muri,
 quae scopulis trabibusque diu confectaque flammis
 procubuit tandem adque ingentem perculit orbem. 385
 Ecce locum tempusque ratus iamque et sua posci
 proelia, falcatos infert Ariasmenus axes
 saeuaque diffundit socium iuga protinus omnes
 Graiugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
 qualiter exosus Pyrrhae genus aequora rursus 390
 Iuppiter adque omnes fluuium si fundat harenas,
 ardua Parnasi lateant iuga, cesserit Othrys
 piniger et mersis decrescant rupibus Alpes:
 diluuium tali paribusque Ariasmenus urget
 excidiis nullo rapiens discrimine currus. 395

aegida tum primum uirgo spiramque Medusae
 ter centum saeuis squalentem sustulit hydris,
 quam soli uidistis equi. pauor occupat ingens
 excussis in terga uiris, diramque retorquent
 in socios non sponte luem. tunc ensibus uncis 400
 implicat et trepidos lacerat discordia currus.

Romanas ueluti saeuissima cum legiones
 Tisiphone regesque mouet, quorum agmina pilis
 isdem aquilisque utrimque micant, eademque parentes
 rura colunt, idem lectos ex omnibus agris 405

miserat infelix non haec ad proelia Thybris:
 sic modo concordēs externaque fata petentes
 Palladii rapuere metus, sic in sua uersi
 funera concurrunt dominis reuocantibus axes.

non tam foeda uirum Laurentibus agmina terris 410
 eiecere noti, Libyco nec talis imago

litore, cum fractas inuoluunt aequora puppes.
 hinc biuges, illinc artus cernuntur eriles,
 quos radii, quos ferra secant; trahiturque trahitque
 currus caede madens atroque in puluere regum 415
 uiscera nunc aliis, aliis nunc axibus haerent.

haut moti Colchorum animi: neque *mittere parcunt*
 tela, set implicitos miseraque in peste reuinctos
 confodiunt ac forma necis non altera surgit,
 quam ceruos ubi non Umbro uenator edaci, 420
 non pinna petit, haerentes sed cornibus altis
 inuenit et caeca constrictos excipit ira.

ipse recollectis audax Ariasmenus armis
 desilit; illum acies curuae secat undique falcis
 partiturque rotis, adque inde furentia raptus 425
 in iuga Circaeos tetigit non amplius agros.

Talia certatim Minyae sparsique Cytaei
 funera miscebant campis Scythiamque premebant,
 cum Iuno Aesonidae non hanc ad uellera cernens
 esse uiam nec sic reditus regina parandos, 430
 extremam molitur opem, funesta prius quam
 consilia ac saeuas aperit rex perfidus iras.

increpat et seris Vulcanum maesta querellis,
 cuius flammiferos uidet inter regia tauros
 pascua Tartaream proflantes pectore noctem. 435
 haec etenim Minyas ne iungere Marte peracto
 monstra datis iubeat Cadmei dentibus hydri,
 ante diem timet et uarias circumspicit artes.
 sola animo Medea subit, mens omnis in una
 uirgine, nocturnis qua nulla potentior aris. 440
 illius ad fremitus sparsosque per auia sucos
 sidera fixa pauent et aui stupet orbita Solis.
 mutat agros fluuiumque uias, suus alligat ingens
 cuncta sopor, recoquit fessos aetate parentes
 datque alias sine lege colus. hanc maxima Circe 445
 terrificis mirata modis, hanc aduena Phrixus,
 quamuis Atracio lunam spumare ueneno
 sciret et Haemoniis agitari cantibus umbras.
 ergo opibus magicis et uirginitate tremendam
 Iuno duci sociam coniungere quaerit Achiuo. 450
 non aliam tauris uidet et nascentibus armis
 quippe parem nec cui medio stet in agmine flammae,
 nullum mente nefas, nullos horrescere uisus.
 quid si caecus amor saeuusque accesserit ignis?
 hinc Ueneris thalamos semperque recentia sertis 455
 tecta petit. uisa iamdudum prosilit altis
 diua toris uolucrumque exercitus omnis Amorum.
 ac prior hanc placidis supplex Saturnia dictis
 adgreditur ueros metuens aperire timores.
 'in manibus spes nostra tuis omnisque potestas 460
 nunc' ait; 'hoc en iam magis adnue uera fatenti.
 durus ut Argolicis Tirynthius exulat oris,
 mens mihi non eadem Iouis atque auersa uoluntas,
 nullus honor thalamis flammaeue in nocte priores.
 da, precor, artificis blanda adspiramina formae 465
 ornatusque tuos terra caeloque potentes.'
 sensit diua dolos iam pridem sponte requires
 Colchida et inuisi genus omne excindere Phoebi.
 tum uero optatis potitur; nec passa precari

ulterius dedit acre decus fecundaque monstris 470
cingula, non pietas quibus aut custodia famae,
non pudor, at contra leuis et festina cupido
adfectusque mali dulcisque labantibus error
et metus et demens alieni cura pericli.

'omne' ait 'imperium natorumque arma meorum 475
cuncta dedi; quascumque libet nunc concute mentes.'

Cingitur arcanis Saturnia laeta uenenis,
adque hinc uirgineae uenit ad penetralia sedis
Chalciopen imitata sono formaque sororem.

fulsit ab inuita lumen procul, et pauor artus 480
protinus adque ingens Aetida perculit horror.

'ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus' inquit
'aduenisse, soror, nec nostro sola parenti
scis socias iunxisse manus? at cetera muros
turba tenet fruiturque uirum caelestibus armis, 485

tu thalamis ignaua sedes, tu sola paterna
fixa domo? tales quando tibi cernere reges?'
illa nihil contra; nec enim dea passa manumque
implicat et rapidis mirantem passibus aufert.

ducitur infelix ad moenia summa futuri 490
nescia uirgo mali et falsae commissa sorori;

lilia per uarios lucent uelut alba colores
praecipue, quis uita breuis totusque parumper
flore honor fuscis et iam notus imminet alis.

hanc residens altis Hecate Perseia lucis 495
flebat et has imo referebat pectore uoces:

'deseris heu nostrum nemus aequalesque cateruas,
a misera, ut Graias haut sponte uageris ad urbes!
non inuisa tamen; neque te, mea cura, relinquam.

magna fugae monumenta dabis, spernere nec usquam 500
mendaci captiua uiro, meque ille magistram
sentiet et raptu famulae doluisse pudendo.'

dixerat. ast illae murorum extrema capessunt
defixaeque uirum lituumque fragoribus horrent,
quales instanti nimborum fulgure maestae 505
succedunt ramis haerentque pauore uolucres.

Iamque Getae, iamque omnis Hiber Drangaeaque densa
 strage cadit legio et latis prosternitur aruis.
 semineces duplicesque inter sua tela suosque
 inter equos saeuam misero luctamine uersant 510
 congeriem et longis campos singultibus implent.
 uictores patrium contra paeana Geloni
 congeminant; eadem redeunt mox gaudia uictis,
 qua deus et melior belli respexit imago.

Quis tales obitus dederit, quis talia facta, 515
 dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.
 Absyrtus clipei radiis curruque coruscus
 Solis aui (cuius uibrantem comminus hastam
 cernere nec galeam gentes potuere minantem,
 sed trepidae cedunt et uerso uulnera tergo 520
 accipiunt magnisque fugam clamoribus augent)
 proterit impulsu grauis agmina corporaque altis
 sternit equis gemitusque premit spirantis acerui.
 nec leuior comitatur Aron, horrentia cuius
 discolor arma super squalentesque aere lacertos 525
 barbarica chlamys ardet acu tumefactaque uento
 implet equum, quale in roseis it Lucifer alis,
 quem Venus inlustri gaudet procedere caelo.
 at non inde procul Rambelus et acer Otaxes
 dispulerant Colchos pariterque inglorius Armes, 530
 fraude noua stabula et furtis adsuetus inultis
 depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
 hispidus inque dei latuit terrore Lycae.
 hac tunc attonitos facie defixerat hostes.

quem simulac nota formidine bella mouentem 535
 uidit Aron, 'puidos te' inquit 'nunc rere magistros
 et stolidum petiisse pecus. non pascua nec bos
 hic tibi; nocturnis mitte haec simulacra rapinis,
 neue deum mihi finge; deus quoque consere dextram.'
 sic ait, intentaque adiutum missile planta 540
 derigit et lapsis patuerunt uulnera uillis.
 nec minus Aeolii proles Aetia Phrixi
 fertur et ipsa furens ac se modo laeta Cytaeis

agminibus, modo cognatis ostentat Achiuis.
 adque hos in medio duri discrimine belli 545
 caedibus inque ipsis gaudens ubi uidit Iason,
 'macte' ait 'o nostrum genus et iam certa propago
 Aeoliae nec opina domus; sat magna laborum
 dona fero, satis hoc uisu quaecumque rependo.'
 dixit et in Sueten magnique in fata Ceramni 550
 emicuit clipeumque rotans hunc poplite caeso
 deicit, illum aperit lato per pectus hiatu.
 Argus utrumque ab equis ingenti porrigit aruo
 et Zacorum et Phalcen, peditem pedes haurit Amastrin.
 sanguinis ille globos effusaque uiscera gestat 555
 barbarus et cassa frendens sublabitur ira.
 dat Calais Barisanta neci semperque propinquas
 Riphea uenali comitantem sanguine pugnas
 (centum lecta boum bellator corpora, centum
 pactus equos; his ille animam lucemque rependit 560
 crudelis; tandem dulces iam cassus in auras
 respicit ac nulla caelum reparabile gaza);
 labitur intortos per tempora caerula crines
 tunc quoque materna uelatus harundine Peucon.
 at genetrix imis pariter Maeotis ab antris 565
 impleuit plangore lacus natumque uocauit,
 iam non per ripas, iam non per curua uolantem
 stagna nec in medio truncantem marmore ceruos.
 Eurytus Exomatas agit aequore. Nestoris hastae
 immoritur primaeuus Helix, nec reddit amato 570
 nutrimenta patri breuibus ereptus in annis.
 at Latacum Zetemque Daraps; illum excipit hasta,
 hic fugit, ingentem subiti cum sanguinis undam
 uidit et extremo lucentia pectora ferro.
 Ecce autem muris residens Medea paternis 575
 singula dum magni lustrat certamina belli
 adque hos ipsa procul densa in caligine reges
 agnoscit quaeritque alios Iunone magistra,
 conspicit Aesonium longe caput, ac simul acres
 huc oculos sensusque refert animumque fauentem, 580

nunc quo se raperet, nunc quo diuersus abiret,
 ante uidens, quotque unus eques confunderet arua,
 errantesque uiros quam densis sisteret hastis.
 quaque iterum tacito sparsit uaga lumina uultu
 aut fratris quaerens aut pacti coniugis arma, 585
 unus ibi miserae solusque occurrit Iason.
 tunc his germanam adgreditur, ceu nescia, dictis:
 'quis, precor, hic, toto iamdudum feruere campo
 quem tueor quemque ipsa uides? nam te quoque tali
 attonitam uirtute reor.' contra aspera Iuno 590
 reddit agens stimulis ac diris fraudibus urget.
 'ipsum' ait 'Aesoniden cernis, soror, aequore tanto
 debita cognati repetit qui uellera Phrivi,
 nec nunc laude prior generis nec sanguine quisquam.
 aspicias, ut Minyas inter proceresque Cytaeos 595
 emicet effulgens quantisque insultet aceruis;
 et iam uela dabit, iam litora nostra relinquet,
 Thessaliae felices opes dilectaque Phrivo
 rura petens. eat atque utinam superetque labores!
 tantum effata magis campis intendere suadet, 600
 dum datur, ardentisque uiri percurrere pugnas;
 At simul hanc dictis, illum dea Marte secundo
 inpulit adque nouas egit sub pectora uires.
 ora sub excelso iamdudum uertice, coni
 saeua micant cursuque ardescit nec tibi, Perse, 605
 nec tibi, uirgo, iubae laetabile sidus Achiuae,
 acer ut autumno canis iratoque locati
 ab Ioue fatales ad regna iniusta cometae.
 nec sua Crethiden latuit dea uimque recentem
 sentit agi membris ac se super agmina tollit, 610
 quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre
 Caucasus et summas abiit hibernus in arctos.
 tunc uero, stabulis qualis leo saeuit opimis
 luxurians spargitque famem mutatque cruores,
 sic neque parte ferox nec caede moratur in una 615
 turbidus inque omnes pariter furit ac modo saeuo
 ense, modo infesta rarescunt cuspide turmae.

tunc et terrificis undantem crinibus Hebrum
 et Geticum Priona ferit; caput eripit Auch
 brachiaque et uastis uoluendum mittit harenis. 620

Et genitus Ioue conplerat sua fata Colaxes;
 iamque pater maesto contristat sidera uultu
 talibus aegra mouens nequiquam pectora curis:
 'ei mihi, si durae natum subducere sorti
 moliar atque meis ausim confidere regnis, 625
 frater adhuc Amyci maerens nece cunctaque diuum
 turba frement, quorum nati cecidere cadentque.

quin habeat sua quemque dies cunctisque negabo,
 quae mihi.' supremos misero sic fatus honores
 congerit adque animis moriturum ingentibus implet. 630
 ille uolat campis immensaque funera miscet
 per cuneos, uelut hiberna proruptus ab arcto
 imber agens scopulos nemorumque operumque ruinas,
 donec ab ingenti bacchatus uertice montis
 frangitur inque nouum paulatim deficit annem. 635

talis in extremo proles Iouis emicat aeuo,
 et nunc magnanimos Hypetaona Gessithoumque,
 nunc Arinen Olbumque necat; iam saucius Aprem
 et desertus equo Thydrum pedes excipit hasta
 Phasiaden, pecoris custos de more paterni 640
 Caucasus ad primas genuit quem Phasidis undas;
 hinc puero cognomen erat famulumque ferebant
 Phasidis intonso nequiquam crine parentes.

iamque aliis instabat atrox, cum diua supremas
 rumpit iniqua colus uictorque aduenit Iason. 645
 excipit hunc saeua sic fatus uoce Colaxes:

'uos Scythiae saturare canes Scythiaeque uolucres
 huc miseri uenistis?' ait saxumque prehensum,
 illius et dextrae gestamen et illius aeui, 650
 concussa molitur humo, quod regia Iuno
 flexit ad ignotum caput infletumque Monesi.
 praeceps ille ruit; nato non depulit ictus
 Iuppiter, Haemoniae uulnus fatale sed hastae
 per clipeum, per pectus abit, lapsoque cruentus

aduolat Aesonides mortemque cadentis acerbat. 655
 spargitur hinc miserisque uenit iam notus Alanis.

At regina uirum (neque enim dea summouet ignem)
 persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret;
 et iam laeta minus praesentis imagine pugnae
 castigatque metus et quas alit inscia curas, 660
 respiciens, an uera soror (nam credere falsos
 audet atrox uultus), eademque in gaudia rursus
 labitur et saeuae trahitur dulcedine flammae.

ac uelut ante comas ac summa cacumina siluae
 lenibus adludit flabris leuis auster, at illum 665
 protinus inmanem miserae sensere carinae:
 talis ad extremos agitur Medea furores.

interdum blandae derepta monilia diuae
 contrectat miseroque aptat flagrantia collo,
 quaque dedit teneros aurum furiale per artus, 670
 deficit; ac sua uirgo deae gestamina reddit,
 non gemmis, non illa leui turbata metallo,
 sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto
 iam tenet; extremus roseo pudor errat in ore.

ac prior his: 'credisne patrem promissa daturum, 675
 o soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
 contigit? aut belli quantum iam restat acerbi?
 heu quibus ignota sese pro gente periclis
 obicit!' haec fantem medio in sermone reliquit
 incepti iam Iuno potens securaque fraudis. 680

Inminet e celsis audentius inproba muris
 uirgo nec ablatam sequitur quaeritue sororem,
 at quotiens uis dura ducum densique repente
 Aesoniden pressere uiri cumque omnis in unum
 imber iit, totiens saxis pulsatur et hastis. 685

primaque ad infesti Lexanoris horruit arcus,
 alta sed Aesonium supra caput exit harundo,
 teque, Caice, petit; coniunx miseranda Caico
 linquitur et primo domus imperfecta cubili.

Regius eois Myraces interpres ab oris 690
 uenerat, ut Colchos procul adque Aetia Parthis

foedera donato non inrita iungeret auro.
 tum iuuenem terris Parcae tenere Cytæis
 ac subiti Mauortis amor simul. armiger ibat
 semiuir inpubemque gerens sterilemque iuuentam. 695
 ipse pharetratis residens ad frena tapetis
 nunc leuis infesto procurrit in agmina curru,
 nunc fuga conuersas spargit mentita sagittas.
 at uiridem gemmis et eoae stamine siluæ
 subligat extrema patrium ceruice tiaran 700
 insignis manicis, insignis acinace dextro;
 inproba barbaricæ procurrunt tegmina plantæ.
 nec latuere diu saeuum spolia illa Syenen,
 perque leuem et multo maculatam murice tigrin
 concita cuspis abit; subitos ex ore cruores 705
 saucia tigris agit uitamque effundit erilem;
 ipse puer fracto pronum caput implicat arcu.
 sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine uultus
 et grauidæ maduere comæ, quas flore Sabæo
 nutrierat liquidoque parens signauerat auro. 710
 qualem siquis aquis et fertilis ubere terræ
 educat ac uentis oleam felicibus implet,
 nec labor adsiduus nec spes sua fallit alentem,
 iamque uidet primam tenero de uertice frondem;
 cum subito inmissis præceps aquilonia nimbis 715
 uenit hiemps nigraque euulsam tendit harena:
 haud secus ante urbem Myraces adque ipsius ante
 uirginis ora cadit; sed non magis illa mouetur
 unius aegra metu, quam te, Meleagre, furentem,
 quam Talaum uidet aut pugnas miratur Acasti; 720
 at satis hos ipsæ gentes campique uidebant
 tempestate pari uersis incumbere turmis.
 ante oculos fuga foeda ducum largusque cadentum
 it cruor et currus dominis ingentibus orbi.
 Non tulit hos Perses gemitus clademque suorum 725
 tergaque uersa tuens his caelum questibus implet:
 'quid me iam patriis eiectum sedibus, istas
 ut struerem pugnas Scythiamque in bella mouerem,

uos superi, uos augurio iussistis inani?
 quis fratris meritas tua, Iuppiter, omina poenas 730
 promiserere mihi? nobis Argoa parabas
 scilicet auxilia et tantas coniungere uires.
 saeua quidem lucis miseris mora; dent tamen, oro,
 unum illum mihi fata diem, quo falli et Achiuos
 sic meritos quoque hunc uideam uirtute superbum 735
 Aesoniden tantos flentem sine honore labores.
 dixerat haec pectusque suis euerberat armis
 et galeam fletu, galeam singultibus implet;
 ibat et in medii praeceps incendia belli,
 ni prior aduersis Pallas uidisset ab armis 740
 et secum: 'ruit ecce ferox in funera Perses,
 quem genitor Colchis solioque inponere fratris
 iam statuit. nostra uereor ne fraude peremptum
 increpet et culpam hanc magno terrore rependat.'
 haec dicens atro nebulam diffundit amictu 745
 stridentesque uiri circum caput amouet hastas.
 ille super socias clementi turbine gentes
 erigitur paulumque leui raptatus in aethra
 iam tandem extremas pugnae defertur in oras,
 forte ubi serus Hiber Issedoniaeque phalanges 750
 Marte carent solisque iuuant clamoribus agmen.
 Nox simul astriferas profert optabilis umbras;
 et cadit extemplo belli fragor aegraque muris
 degreditur longum uirgo perpessa timorem.
 ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt, 755
 mox rapuere deum iam iam ad quodcumque paratae
 Thyiades, haut alio remeat Medea tumultu,
 adque inter Graiumque acies patriasque phalanges
 semper inexpletis adgnoscit Iasona curis
 armaque quique caua superest de casside uultum. 760

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER SEPTIMUS.

Te quoque Thessalico iam serus ab hospite uesper
diuidit et iam te tua gaudia, uirgo, relinquunt,
noxque ruit soli ueniens non mitis amanti.
ergo ubi cunctatis extremo in limine plantis
contigit aegra toros et mens incensa tenebris, 5
uertere tunc uarios per longa insomnia questus
nec pereat quo scire malo; tandemque fateri
ausa sibi causam medio sic fata dolore est:
'nunc ego quo casu uel quo sic peruigil usque
ipsa uolens errore trahor? non haec mihi certe 10
nox erat ante tuos, iuuenis fortissime, uultus.
quos ego cur iterum demens iterumque recordor
tam magno discreta mari? quid in hospite solo
mens mihi? cognati potius iam uellera Phrixi
accipiat, quae sola petit quaeque una laborum 15
causa uiro. nam quando domos has ille reuisset?
aut meus Haemonias quando pater ibit ad urbes?
felices, mediis qui se dare fluctibus ausi
nec tantas timuere uias talemque secuti
huc qui deinde uirum: sed sic quoque carus abito. 20
tum iactata toro durumque experta cubile,

ecce uidet tenui candescere lumine eoum;
 nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
 quam cum languentes leuis erigit imber aristas
 grataque iam fessis descendunt flamina remis. 25

At sua longarum Minyas iam cura uiarum
 admonet; inque ipso nequiquam tempore regem
 laetitiae meritique petunt; quem passus Iason
 uota prius captasque deis appendere praedas,
 prominet adque oculos longe tenet, aurea si iam 30
 pellis et oblatis clarescant atria uillis.

Ille autem iam iam uultus uocesque parantem
 anteuenit rumpitque moras inque ipsa mouentis
 prosilit ora uiri talique effunditur ira:
 'orbe satos alio, sua litora regnaque habentes, 35
 quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
 quisue mei uos tantus amor? tu prima malorum
 causa mihi, tu, Phrixe gener. non te aequore mersum
 quo soror! ut felix nullos nunc nomine Graios
 nossem ego! quis regum Pelias, quis Thessalus aut quae 40
 Graecia? quodnam hominum Minyae genus? aut ubi cautes
 Cyaneae? uenit Scythicas en hospes in oras.
 quinquaginta Asiam (pudet heu!) penetrarit Iason
 exulibus? meque ante alios sic spreuerit una,
 una ratis, spolium ut uiuo de rege reportet? 45
 ipsum offerre, meos ipsum me pandere lucos
 imperet et nullo dignetur uincere bello?
 cur age non templis sacrata auellere dona
 omnibus adque ipsas gremiis abducere natas,
 praedo, libet? uobisne domos, uobisne penates 50
 esse putem, ratis infandis quos sola rapinis
 saeuaque pascit hiemps et quos, credamus ut ipsis,
 rex suus inmisit pelago uetuitque reuerti?
 scilicet Aeoliae pecudis poteretur ut auro?
 ante meus caesa descendet Caucasus umbra 55
 ac prior Haemonias repetet super aequora praedas
 aut ego cum uittis statuam feralibus Hellen.

si tamen his aliter perstas non cedere terris,
 teque pudor cassi reditus mouet, ac latet una
 nescio quid plus puppe uiris, haud ipsa morabor 60
 quae petitis; modo nostra prior tu perface iussa.
 Martius ante urbem longis iacet horridus annis
 campus, et ardentis ac me quoque uomere presso,
 me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.
 his magis adque magis rabiem nunc nostra senectus . 65
 luxuriamque dedit, solitoque superbior ignis
 ore fremit. succede meae, fortissime, laudi,
 et nostros recale, hospes, agros. nec semina derunt,
 quae prius ipse dabam, et messes, quas solus obibam.
 consiliis nox una satis, tecumque retracta 70
 cumque tuis haec iussa deis; ac siquid in isto est
 robore, praedicti uenies in rura laboris.
 ipse incertus adhuc, tenebris te protinus illis
 inuolui flammisque uelim, durare parumper
 an magis, euerso iacias dum semina campo, 75
 ac tibi Cadmei dum dentibus exeat hydri
 miles et armata florescant pube nouales.
 Filia prima trucis uocem mirata tyranni
 haesit et ad iuuenem pallentia rettulit ora
 contremuitque metu, ne nescius audeat hospes 80
 seque miser ne posse putet. perstrinxerat horror
 ipsum etiam et maesta stabat defixus in ira.
 non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
 qui iam te, Tiberine, tuens clarumque sereno
 axe pharon pressus subito nusquam ostia, nusquam 85
 Ausoniam uidet, at saeuas accedere Syrtes.
 tum tamen, infando quae det responsa tyranno,
 colligit et tandem obtutu consurgit ab alto.
 'non' ait 'hos reditus, non hanc, Aeeta, dedisti
 spem Minyis, cum prima tuis pro moenibus arma 90
 induimus. quo uersa fides? quos uestra uolunt
 iussa dolos? alium hic Pelian, alia aequora cerno.
 quin agite hoc omnes odiisque urgete tyranni
 imperiisque caput; numquam mihi dextera nec spes

defuerit; mos iussa pati nec cedere duris. 95
 unum oro, seu me illa suis seges obruet hastis,
 hauriet aduerso seu crastinus ignis hiatu,
 nuntius hinc saeuas Peliae mittatur ad aures,
 hic periisse uiros, et me, si uestra fuisset
 ulla fides, reducem patriae potuisse referri? 100
 Talibus attonitos dictis natamque patremque
 linquit et infida praeceps prorumpit ab aula.
 at trépida et medios inter deserta parentes
 uirgo silet, nec fixa solo seruare parumper
 lumina nec potuit maestos non flectere uultus; 105
 respexitque fores et adhuc inuenit euntem;
 uisus et heu miserae tunc pulchrior hospes amanti
 discedens; tales umeros, ea terga relinquit.
 illa domum adque ipsos paulum procedere postes
 optat, at ardentem tenet intra limina gressus. 110
 qualis ubi extremas Io uaga sentit harenas
 fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinys
 ire mari Phariaeque uocant trans aequora matres:
 circuit haut aliter foribusque inpendet apertis,
 an melior Minyas reuocet pater; oraque cernens 115
 hospitis aut solo maeret defecta cubili
 aut uenit in carae gremium refugitque sororis
 adque loqui conata silet; rursusque recedens
 quaerit, ut Aeaëis hospes consederit oris
 Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones. 120
 tum comitum uisu fruitur miseranda suarum
 inplerique nequit; subitoque parentibus haeret
 blandior et patriae circumfert oscula dextrae.
 sic adsueta toris et mensae dulcis erili,
 aegra noua iam peste canis rabieque futura, 125
 ante fugam totos lustrat queribunda penates.
 tandem etiam molli semet sic increpat ira.
 ‘pergis,’ ait ‘demens, teque illius angit imago
 curaque, qui profuga forsan tenet alta carina
 quique meum patrias referet nec nomen ad urbes? 130
 quid me autem sic ille mouet, superetne labores

an cadat et tanto turbetur Graecia luctu?
 saltem, fata uirum si iam suprema ferebant,
 iussus ad ignotos potius fuit ire tyrannos!
 o utinam o tantum non hac moreretur in urbe! 135
 namque et sidereo nostri de sanguine Phrivi
 dicitur, et caram uidi indoluisse sororem;
 seque ait has iussis actum miser ire per undas.
 a, redeat quocumque modo meque ista precari
 nesciat adque meum non oderit ille parentem.' 140
 dixerat haec stratoque graues proiecerat artus,
 si ueniat miserata quies, cum saeuior ipse
 turbat agitque sopor: supplex hinc sternitur hospes,
 hinc pater. illa noua rumpit formidine somnos
 erigiturque toro; famulas carosque penates 145
 agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes;
 turbidus ut poenis caecisque pauoribus ensem
 corripit et saeuae ferit agmina matris Orestes;
 ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli;
 adque iterum incestae se feruere caede Lacaenae 150
 credit auens, falsaque redit de strage dearum
 fessus et in miserae conlabitur ora sororis.

His ubi nequiquam nutantem Colchida curis
 Iuno uidet necdum extremo parere furori,
 non iam mentitae uultum uocemque resumit 155
 Chalciope. quando ardor hebet leuiorque pudore
 mensque obnixa malo, tenues sublimis in auras
 tollitur et fuluo Venerem uestigat Olympo.
 'sum memor, ut sis hunc mecum partita laborem;
 illa nimis sed dura manet conuersaque in iram 160
 et furias dolet ac me nunc defecta reliquit.
 i, precor, adque istum quo me frustratur amorem
 uince tori, patriis ut tandem euadere tectis
 audeat adque meum casu defendere ab omni
 Aesoniden. quin illum atro, quo freta, ueneno, 165
 illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
 qui nemus omne suum quique aurea (respice porro)
 uellera tot spiris circum, tot ductibus implet,

cantibus in somnos ingenti soluat ab orno.
 haec tibi: nam Furiis adque ipsi cetera mando.' 170
 Tum contra aligerum mater sic fatur Amorum:
 'nec tibi, eum primos adgressa es flectere sensus
 uirginis ignotaque animum contingere cura,
 defuimus, data continuo quin cingula soli
 nostra tibi, quis mota loco labefactaque cessit. 175
 haut satis est, sed me ipsa opus, et cunctantia poscunt
 pectora me dubiusque pudor: iam foedera faxo
 Haemonii petat ipsa uiri metuatque morari.
 tu face luciferae citus ad delubra Dianae
 deueniat, sacras solita est ubi fundere taedas 180
 Colchis et aequali dominam lustrare caterua.
 nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
 impediat ne coepta time. quin audeat opto:
 continuo transibit amor, cantuque trilingui
 ipsam flammiferos cogam conpescere tauros 185
 amplexumque pati.' uolucrum Iuno arripit Irin
 festinamque iubet monitis parere Diones
 et iuuenem Aesonium praedicto sistere luco.
 protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petiuit
 Colchida; Caucaseis speculatrix Iuno resedit 190
 rupibus, attonitos Aeaea in moenia uultus
 speque metuque tenens et adhuc ignara futuri.
 Uix primas occulta Venus prospexerat arces,
 uirginis ecce nouus mentem perstringere languor
 incipit; ingeminant commotis questibus aestus. 195
 ergo iterum sensus uarios super hospite uoluens
 maeret et absentem nequiquam talia fatur:
 'si tibi Thessalicis nunc et tua forte uenenis
 mater et heu, siqua est, posset succurrere coniunx!
 quidne tuos uirgo possim nisi flere labores? 200
 nec satis; ipsa etiam casus spectare supremos
 adque iterum durae cogar comes ire sorori.
 et nunc ille sua non quemquam sorte moueri,
 non ullum meminisse putat, cumque omnibus odit
 me quoque. siquando fuerit tamen ulla potestas, 205

illum ego, qui diris cinis ultimus haeserit aruis,
 ossaque, quis tauri saeuusque pepercerit ignis,
 conponam sedemque dabo. fas tunc mihi manes
 dilexisse uiri tumuloque has reddere curas.'

Dixerat. ecce toro Venus inprouisa resedit, 210
 sicut erat mutata deam mentitaque pictis
 uestibus et magica Circen Titanida uirga.
 ista, uelut lenti fallatur imagine somni,
 sic oculos incerta tenet magnique sororem
 paulatim putat esse patris; tum flebile gaudens 215
 prosiluit saeuaeque ultro tulit oscula diuae,
 ac prior: 'o tandem, uix tandem reddita Circe
 dura tuis, quae te biugis serpentibus egit
 hinc fuga? quaeue fuit patriis mora gratior oris?
 ante et Thessalicae Phasin petiere carinae 220
 perque tot infelix frustra uada uenit Iason,
 quam patriae te mouit amor.' tum cetera rumpit
 occurritque Venus: 'tu nunc mihi causa uiarum
 sola: tuae uenio (iam pridem gnara) iuuentae;
 cetera parce queri neu me meliora secutam 225
 argue; quippe (ut iam reputentur munera diuum)
 omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
 communes et crede deos. patriam inde uocato,
 qua redit itque dies. nec nos, o nata, maligna
 luserit hoc uno semper sub frigore messis. 230
 fas mihi non habiles, fas et tibi relinquere Colchos.
 et nunc Ausonii coniunx ego regia Pici,
 nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris,
 meque uides Tusci dominam maris. at tibi quinam
 Sauromatae, miseranda, proci? cui uadis Hiberno 235
 (ei mihi!) uel saeuo coniunx non una Gelono?'

Illa deae contra iamdudum spernere uoces;
 'non ita me inmemorem magnae Perseidos' inquit
 'cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
 i, precor, adque tuum pro me dimitte timorem. 240
 sed magis his miseram, quando potes, eripe curis;

unde metus aestusque mihi, quaeque aspera, mater,
 perpetior dubiae iamdudum incendia mentis.
 nulla quies animo, nullus sopor, arida membra.
 quaere malis nostris requiem mentemque reponens 245
 redde diem noctemque mihi, da prendere uestes
 somniferas istaque oculos componere uirga.
 tu quoque nil, mater, prodes mihi; fortior ante
 sola fui. tristes thalamos infestaque cerno
 somnia, uipereos ipsi tibi surgere crines.' 250
 talia uerba dabat conlapsaque flebat iniquae
 in Veneris Medea sinus pestemque latentem
 ossibus adque imi monstrabat pectoris ignem.
 Occupat amplexu Venus et furialia figit
 oscula permixtumque odiis inspirat amorem. 255
 dumque illam uariis maerentem uocibus ambit
 inque alio sermone tenet, 'quin hoc' ait 'audi
 adque attolle genas' lacrimisque haec infit obortis:
 'cum leuis aetheriis ad te modo laberer auris,
 forte ratem primo fulgentem litore cerno, 260
 qualem nostra suo numquam dimittere portu
 callet, adhuc omnes quae detinet insula natos.
 unus ibi ante alios qui tum mihi pulchrior omnis
 uisus erat (longeque ducem mirabar et ipsa)
 aduolat adque unam comitum ratus esse tuarum 265
 "per tibi siquis" ait "morituri protinus horror,
 ac quem non meritis uideas occurrere monstris,
 haec precor, haec dominae referas ad uirginis aurem
 ac fletus ostende meos; illi has ego uoces,
 qua datur, hasque manus, ut possum, a litore tendo. 270
 ipsae, quas mecum per mille pericula traxi,
 defecere deae; spes et uia sola salutis,
 quam dederit, si forte dabit. ne uota repellat,
 ne mea; totque animas, qualis nec uiderit ultra,
 dic, precor, auxilio iuuet adque haec nomina seruet. 275
 ei mihi, quod nullas hic possum exsoluere grates! 284
 ac tamen hoc saeua corpus de morte receptum, 285
 hanc animam sciat esse suam. miserebitur ergo?

dic, ait, an potius?" — strictumque ruebat in ensem.
 promisi; ne falle, precor. cumque ipsa mouerer
 adloquio casuque uiri, te passa rogari
 sum potius; tu laude noua, tu supplice digno 290
 dignior es; sat fama meis iam parta uenenis. 291
 si Pelopis duros prior Hippodamia labores 276
 expediit totque ora simul uulgata procorum
 respiciens tandem patrios exhorruit axes,
 si dedit ipsa neci fratrem Minoia uirgo:
 cur non hospitibus fas sit succurrere dignis 280
 te quoque et Aeaeos iubeas mitescere campos?
 occidat aeterna tandem Cadmeia morte
 iam seges et uiso fumantes hospite tauri.' 283

Torserat illa graui iamdudum lumina uultu 292
 uix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis
 iret in ora deae; tanta pudor aestuat ira.
 iamque toro trepidas infelix obruit aures 296
 uerba cauens; horror molles inuaserat artus. 295
 nec quo ferre fugam nec quo se uertere posset
 prensa uidet; rupta condi tellure premique
 iamdudum cupit ac diras euadere uoces.

Illa sequi iubet et portis expectat in ipsis. 300
 saeuus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
 deserit infectis per roscida cornua uittis,
 cum tenet ille deum, pudibundaque tegmina matris
 tympanaque et mollem subito miser accipit hastam:
 haud aliter deserta pauet perque omnia circum 305
 fert oculos tectisque negat procedere uirgo.
 contra saeuus amor, contra periturus Iason
 urget et auditae crescunt in pectore uoces.
 heu quid agat? uidet externo se prodere patrem
 dura uiro, famam scelerum iamque ipsa suorum 310
 prospicit, et questu superos questuque fatigat
 Tartara; pulsat humum manibusque inmurmurat uncis
 noctis eram Ditemque ciens, succurrere tandem
 morte uelint ipsumque simul demittere leto,

quem propter furit; absenti saeuissima poscit 315
 nunc Peliae, tanta iuuenem qui perderet ira.
 saepe suas misero promittere destinat artes,
 dein negat atque una potius decernit obire;
 ac neque tam turpi cessuram semper amanti
 proclamat neque opem ignoto uiresque daturam; 320
 adque toro proiecta manet, cum uisa uocari
 rursus et impulso sonuerunt cardine postes.
 Ergo ubi nescio quo penitus se numine uinci
 sentit et abscisum quidquid pudor ante monebat,
 tum thalami penetrare petit, quae maxima norat 325
 auxilia Haemoniae quaerens pro rege carinae.
 utque procul magicis spirantia tecta uenenis
 et saeuae patuere fores oblataque contra
 omnia, quae ponto, quae manibus eruit imis
 et quae sanguineo lunae destrinxit ab ore, 330
 'tunc sequeris' ait 'quidquam aut patiere pudendum,
 cum tibi tot mortes scelerisque breuissima tanti
 effugia?' haec dicens, qua non uelocius herba
 pestifera est, toto nequiquam lumine lustrat
 cunctaturque super morituraque colligit iras. 335
 o nimium iucunda dies, quam cara sub ipsa
 morte magis! stetit et sese miserata furentem est.
 'occidis, heu, primo (potes hoc durare?) sub aeuo,
 nec tu lucis' ait, 'nec uideris ulla iuuentae
 gaudia, non dulces fratris pubescere malas? 340
 hunc quoque, cui nunc es crudelis, Iasona nescis
 morte perire tua? qui te nunc inuocat unam,
 qui rogat heu nostro quam primam in litore uidit.
 cur tibi fallaces placuit coniungere dextras
 tunc, pater, atque istis iuuenem non perdere monstris 345
 protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa uolebam.
 testor cara tuas, Circe Titania, uoces,
 te ducente sequor, tua me grandaeva fatigant
 consilia et monitis cedo minor.' haec ubi fata,
 rursus ad Haemonii iuuenis curamque metumque 350
 uertitur; hunc solum propter seu uiuere gaudens

siue mori quodcumque uelit; maiora precatur
 carmina, maiores Hecaten inmittere uires
 nunc sibi, nec notis stabat contenta uenenis.
 cingitur inde sinus et, qua sibi fida magis uis 355
 nulla, Prometheae florem de sanguine fibrae
 Caucasei promit nutritum in gramine montis,
 quem sacer ille niues inter tristesque pruinas
 durat alitque cruor, cum uiscere uultur adeso
 tollitur e scopulis et rostro inrorat aperto. 360
 idem nec longi languescit finibus aeui
 inmortale uirens, idem stat fulmina contra
 saluus et in mediis florescunt ignibus herbae.
 prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
 intulit et ualidas scopulis effodit aristas; 365
 mox famulae monstrata seges, quae lampade Phoebes
 sub decima iuga feta metit saeuitque per omnes
 relliquias saniemque dei; gemit inritus ille
 Colchidos ora tuens; toto tunc contrahit artus
 monte dolor cunctaeque tremunt sub falce catenae. 370
 Talibus infelix contra sua regna uenenis
 induitur noctique tremens infertur opacae.
 dat dextram uocemque Venus blandisque pauentem
 adloquiis iunctoque trahit per moenia passu.
 qualis adhuc teneros insuetum pallida fetus 375
 mater ab excelso produxit in aethera nido
 hortaturque sequi breuibusque insurgere pinnis,
 illos caerulei primus ferit horror Olympi,
 iamque redire rogant adsuetaque quaeritur arbor:
 haud aliter caecae per moenia deficit urbis 380
 incedens horretque domos Medea silentes.
 hic iterum extremae nequiquam in limine portae
 substitit adque iterum fletus animique soluti,
 respexitque deam paulumque his uocibus haesit:
 'ipse rogat certe meque ipse implorat Iason. 385
 nullane culpa subest? labes non ulla pudoris,
 nullus amor? nec turpe uiro seruire precanti?'
 illa nihil contra uocesque abrumpit inanes.

et iam iam magico per opaca silentia Colchis -
 coeperat ire sono, montanaque condere uultus 390
 numina cumque suis auerti collibus Amnes;
 iam stabulis gregibusque pauor strepitusque sepulcris
 inciderat; stupet ipsa graui nox tardior umbra,
 iamque tremens longe sequitur Venus; utque sub altas
 peruenere trabes diuaeque triformis in umbram, 395
 hic subito ante oculos nondum speratus Iason
 emicuit, uiditque prior conterrita uirgo;
 adque hinc se profugam uolucris Thaumantias ala
 sustulit; inde Venus dextrae delapsa tenenti.
 obuius ut sera cum se sub nocte magistris 400
 inpingit pecorique pauor, qualesue profundum
 per chaos occurrunt caecae sine uocibus umbrae;
 haut secus in mediis noctis nemorisque tenebris
 inciderant ambo attoniti iuxtaque subibant,
 abietibus tacitis aut immotis cyparissis 405
 adsimiles, rabidus nondum quas miscuit auster.
 Ergo ut erat uultu defixus uterque silenti
 noxque suum peragebat iter, iam iam ora leuare
 Aesoniden farique cupit Medea priorem.
 quam simul effusis pauitantem fletibus heros 410
 flagrantisque genas uidit miserumque pudorem,
 has tandem uoces dedit et solatus amantem est.
 'fersne aliquam spem lucis?' ait. 'miserata laborem
 nempe uenis? an et ipsa mea laetabere morte?
 ne, precor, infando similem te, uirgo, parenti 415
 gesseris, haut tales decet inclementia uultus.
 hascine nunc grates, haec expectata laborum
 dona dari decuit? sic te sub teste remitti
 fas me, uirgo, tuum? iustas da uocibus aures.
 cur pater ille tuus tantis me opponere monstris 420
 (quid meritum?) aut tales uoluit me pendere poenas?
 an iacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus?
 quodque meus uestris cecidit pro moenibus Iphis?
 aut Scythiae tanta inde manus? iussisset abire
 perfidus atque suis extemplo cedere regnis 425

spe sine. promissum per quae discrimina rursus
 et reddat qua lege, uides. occumbere tandem
 poscimus, idque sedet, quam non quaecumque subire
 patris iussa tui; numquam sine uellere abibo
 hinc ego, degenerem nec me tu prima uidebis.' 430

Haec ait. illa tremens, ut supplicis aspicit ora
 conticuisse uiri iamque et sua uerba repositi,
 nec quibus incipiat demens uidet, ordine nec quo,
 quouere tenus, prima cupiens effundere uoce
 omnia, sed nec prima pudor dat uerba timenti. 435

haeret et attollens uix tandem lumina fatur:
 'quid, precor, in nostras uenisti, Thessale, terras?
 unde mei spes ulla tibi? tantosque petisti
 cur non ipse tua fretus uirtute labores? 440

nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,
 occideras, nempe hanc animam fax saeua manebat
 funeris. en ubi Iuno, ubi nunc Tritonia uirgo,
 sola tibi quoniam tantis in casibus adsum
 externae regina domus? miraris et ipse,
 credo, nec agnoscunt haec nunc Aetida siluae. 445

sed fatis sum uicta tuis; cape munera supplex
 nunc mea; teque iterum Pelias si perdere quaeret
 inque alios casus, alias si mittet ad urbes,
 heu formae ne crede tuae.' Titania iamque
 gramina Perseasque sinu depromere uires 450

coeperat; his iterum conpellat Iasona dictis:
 'si tamen aut superis aliquam spem ponis *in istis*
 aut tua praesenti uirtus educere leto
 si te forte potest, etiam nunc deprecor, hospes,
 me sine et insontem misero dimitte parenti.' 455

dixerat, extemploque (etenim matura ruebant
 sidera et extremo se flexerat axe Bootes)
 cum gemitu et multo iuueni medicamina fletu
 non secus ac patriam pariter famamque decusque
 obicit. ille manu subit et uim corripit omnem. 460

Inde ubi facta nocens et non reuocabilis umquam
 cessit ab ore pudor propiorque inpleuit Erinys,

carmina nunc totos uoluit figitque per artus
 Aesonidae et totum septeno murmure fertur
 per clipeum atque uiro grauiorem reddidit hastam; 465
 iamque sui tauris languent absentibus ignes.
 'nunc age et has' inquit 'cristas galeamque resume,
 quam modo funerea tenuit Discordia dextra.
 hanc iace per medias, cum uerteris aequora, messes;
 protinus in sese conuersa furoribus ibit 470
 cuncta phalanx, atque ipse fremens mirabitur et me
 respiciet fortasse pater.' sic deinde locuta
 iam magis atque magis mentem super alta ferebat
 aequora, pandentes Minyas iam uela uidebat
 se sine. tum uero extremo percussa dolore 475
 arripit Aesoniden dextra ac summissa profatur:
 'sis memor, oro, mei, contra memor ipsa manebo,
 crede, tui. quando hinc aberis, dic quaeso, profundi
 quod caeli spectabo latus? sed te quoque tangat
 cura mei quocumque loco, quoscumque per annos; 480
 adque hunc te meminisse uelis et nostra fateri
 munera, seruatum pudeat nec uirginis arte.
 ei mihi, cur nullos fundunt tua lumina fletus?
 an me mox merita morituram patris ab ira
 dissimulas? te regna tuae felicia gentis, 485
 te coniunx taedaeque manent; ego prodita obibo.
 nec queror et pro te lucem quoque laeta relinquam.'
 protinus hospes ad haec (tacitis nam cantibus illum
 flexerat et simili iamdudum adflarat amore)
 'tunc' ait 'Aesoniden quicquam te uelle relictam 490
 credis et ulla pati sine te loca? redde tyranno
 me potius, recipe ingratos adque exue cantus.
 quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
 si non et genitor te primam amplectitur Aeson,
 teque tuo longe fulgentem uellere gaudens 495
 spectat et ad primos procurrit Graecia fluctus?
 respice ad has uoces et iam, precor, adnue, coniunx.
 per te, quae superis diuisque potentior imis,
 perque haec, uirgo, tuo redeuntia sidera nutu

adque per has nostri iuro discriminis horas: 500
 unquam ego si meriti, si noctis sum immemor huius,
 si te scepra, domum, si te liquisse parentes
 senseris et me unquam non haec promissa tuentem,
 tum me non tauros iuuet euasisse ferosque
 terrigenas, tum me tectis tua turbet in ipsis 505
 flamma tuaeque artes; siquid tum saeuus, istis
 adicias meque in medio terrore relinquant,
 ingrato queat et nullus succurrere contra.
 audiit atque simul meritis periuria poenis
 despondet questus semper Furor ultus amantis. 510
 Haec ubi dicta, tamen perstant defixus uterque,
 et nunc ora leuant audaci laeta iuuenta,
 ora simul totiens dulcis rapiencia uisus,
 nunc deicit uultus aeger pudor et mora dictis
 redditur. at rursus compellat Iasona uirgo: 515
 'accipe, perdomitis quae deinde pericula tauris
 et quis in Aeolio maneat te uellere custos;
 nondum cuncta tibi, fateor, promissa peregi.
 saeuior ingenti Mauortis in arbore restat,
 crede, labor; temptanti utinam fiducia nostri 520
 sit mihi nocturnaeque Hecates uestrique uigoris.'
 dixerat, utque uirum doceat, quae monstra supersint,
 protinus immensis recubantem anfractibus anguem
 turbat et Haemonii subito ducis obicit umbram.
 ille, quod haud alias, stetit et trepidantia torsit 525
 sibila, seque metu postquam sua uellera circum
 sustulit adque omnis spiris exhorruit arbor,
 incipit inde sequi et uacuas furit ore per auras.
 'quis fragor hic? quaenam tantae, dic uirgo, ruinae?'
 exclamat stricto Aesonides stans frigidus ense. 530
 illa abiit ridens tandemque ait angue represso:
 'hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
 heu miser, heu tantis iterum carpende periclis.
 o utinam o nullo te sim uisura labore
 ipsam caeruleis squalentem nexibus ornum 535
 ipsaque peruigilis calcare uolumina monstri,

contingat cui deinde mori!' sic fata profugit
seque sub extremis in moenia rettulit umbris.

Et iam puniceo regem spes uana sub ortu
extulerat, quantis nox una diremerit undis 540
Aesoniden, liberne freto iam uultus aperto
utque prius tutum sileat mare. dumque ea longe
explorare meat, contra uenit Arcas Echion
dicta ferens, iam Circaeis Mauortis in agris
stare uirum, daret aeripedes in proelia tauros. 545
'en uocor en ultro' dixit spesque addidit alas.
'uos mihi nunc primum in flammis inuertite, tauri,
aequora, nunc totos aperite et uoluite fluctus.
exeat Haemonio messis memoranda colono,
tuque tuum patri in Graium da, nata, draconem. 550
istius aspectu pereat, ne uellera et ipsa
aura mihi diros seruent infecta cruores.'
fatur et effusis pandi iubet aequora tauris.
pars et Echionii subeunt inmania dentis
semina, pars diri portant graue robur aratri. 555
at sua magnanimum contra Pagasaea iuuentus
prosequitur stipatque ducem; tum maxima quisque
dicta dedit saeuisque procul decessit ab agris.
fixerat ille gradus totoque ex agmine solus
stabat, ut extremis deserta sub orbibus arbos, 560
quam iam lassa dies austrique ardentis harenae,
aut quam Riphaeas extantem sursus ad arces
nix et caerulei Boreae ferus abstulit horror;
cum subito attoniti longissima Phasidis unda
Caucaseaeque trabes omnisque Aeetia tellus 565
fulsit et ardentes stabula effudere tenebras.
ac uelut ex una siquando nube corusci
ira Iouis torsit geminos mortalibus ignes,
aut duo cum pariter ruperunt uincula uenti
dantque fugam: sic tunc claustris euasit uterque 570
taurus et inmani proflauit turbine flammis
arduus; atque atos uoluunt incendia fluctus.
horruit Argoae legio ratis, horruit audax

qui modo uirgineis seruari cantibus Idas
 flerat et inuito prospexit Colchida uultu. 575
 non tulit ipse moras seseque inmisit Iason,
 diuersos postquam ire uidet. galeamque minantem
 quassat et errantem dextra ciet obuius ignem.

* * *

cunctatus paulum subito furit. aequora non sic 581

in scopulos irata ruunt eademque recedunt
 fracta retro. bis fulmineis se flatibus infert
 obnubique uirum, sed non incendia Colchis
 adspirare sinit, clipeoque inliduntur ignis 585
 frigidus et uiso pallescit flamma ueneno.

ilicet Aesonides dextram ad squalentia mittit
 cornua, dein totis propendens uiribus haeret.
 ille uirum adque ipsam tunc te, Medea, recusans
 concutit et tota nitentem cornibus ira 590

portat iners; tandem grauius mugire residens
 incipit et fesso uictus descendere cornu.
 respicit hinc socios, inmania uincula poscens,
 Aesonides, iamque ora premit trahiturque trahiturque, 595
 obnixusque genu superat, cogitque trementes

sub iuga aena toros. alium dehinc turbida Colchis
 exarmat lentumque offert timideque minantem,
 iamque propinquanti noctem implicat; ille fatiscens
 in caput inque umeros ipsa ui molis et irae
 proruit; inuadit totusque incumbit Iason 600
 desuper adque suis defixum flatibus urget.

utque dedit uinclis ualidoque obstrinxit aratro,
 suscitatur ipse genu saeuaque agit insuper hasta,
 non secus ec medio quam si telluris hiatu
 terga recentis equi primumque inuasit habenis 605
 murmur et in summa Lapithes apparuit Ossa.

Ille uelut campos Libyes ac pinguia Nili
 fertilis arua secet, plena sic semina dextra
 spargere gaudet agris oneratque noualia bello.
 Martius hic primum ter uomere fusus ab ipso 610

clangor et ex omni sonuerunt cornua sulco;
 bellatrix tunc gleba quati pariterque creari
 armarique phalanx totisque insurgere campis.
 cessit et ad socios paulum se rettulit heros
 opperiens, ubi prima sibi daret agmina tellus. 615
 at uero ut summis iam rura recedere cristis
 uidit et infesta uibrantes casside terras,
 aduolat atque imo tellus qua proxima collo
 necdum umeri uidere diem prior ense secanti
 aequat humo truncos; rutilum thoraca leuantis 620
 aut primas ec matre manus premit obuius ante.
 nec magis aut illis aut illis milibus ultra
 sufficit, ad dirae quam cum Tirynthius hydrae
 agmina Palladios defessus respicit ignes.
 ergo iterum ad socias conuertere Colchidos artes, 625
 et galeae nexus ac uincula dissipat imae,
 cunctaturque tamen totique occurrere bello
 ipse cupit; spes nulla datur, sic undique densant
 terrigenae iam signa duces, clamorque tubaeque.
 iamque omnes subiere uirum, iamque omnia contra 630
 tela uolant. tum uero amens discrimine tanto,
 quam modo Tartareo galeam Medea ueneno

 in medios torsit; conuersae protinus hastae.
 qualis ubi attonitos maestae Phrygas annua Matris 635
 ira uel exectos lacerat Bellona comatos:
 haud secus accensas subito Medea cohortes
 implicat et miseros agit in sua proelia fratres.
 omnis ibi Aesoniden sterni putat, omnibus ira
 talis erat. stupet Aeetes ultroque furentes 640
 ipse uiros reuocare cupit, sed cuncta iacebant
 agmina, nec quisquam primus ruit aut super ullus
 linquitur, atque hausit subito sua funera tellus.
 Protinus in fluuium fumantibus euolat armis
 Aesonides, qualis Getico de puluere Mauors 645
 intrat equis hauritque grauis sudoribus Hebrum;
 aut niger ex antris rutilique a fulminis aestu

cum fugit et Siculo respirat in aequore Cyclops.
redditus ut tandem sociosque amplexus ouantes,
haud iam mendacem promissa reposcere regem 650
dignatur; nec, si ipse sibi terga ingerat ultro
quae pepigit, uelit in pacem dextramque reuerti
amplius; ambo truces, ambo abscessere minantes.

C. VALERI FLACCI
ARGONAUTICON
LIBER OCTAVUS.

At trepidam in thalamis et iam sua facta pauentem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
patris habent; nec caerulei timor aequoris ultra,
nec miserae terra ulla procul; quascumque per undas
ferre fugam, quamcumque cupit iam scandere puppem. 5
ultima uirgineis tunc flens dedit oscula uittis,
quosque fugit complexa toros, crinemque genasque
ante per antiqui carpsit uestigia somni,
atque haec inpresso gemuit miseranda cubili:
'o mihi si profugae, genitor, nunc mille supremos 10
amplexus, Aeeta, dares fletusque uideres
ecce meos! ne crede, pater, non carior ille est,
quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!
tu, precor, haec longa placidus mox scepra senecta
tuta geras meliorque tibi sit cetera proles.' 15
dixit et Haemonio numquam spernenda marito
condita letiferis promit medicamina cistis,
uirgineosque sinus ipsumque monile uenenis
implicat ac saeuum super omnibus addidit ensem.
inde, uelut torto Furiarum erecta flagello 20
prosilit: attonito qualis pede prosilit Ino
in freta nec parui meminit conterrita nati,
quem tenet; extremum coniunx premit inritus Isthmon.

Iam prior in lucos curis urgentibus heros
 uenerat et nemoris sacra se nocte tegebat, 25
 tum quoque siderea clarus procul ora iuuenta.
 qualis adhuc sparsis comitum per lustra cateruis
 Latmius aestiua residet uenator in umbra,
 dignus amore deae, uelatis cornibus et iam
 Luna uenit: roseo talis per nubila ductor 30
 implet honore nemus talisque expectat amantem.
 ecce autem pauidae uirgo de more columbae,
 quae super ingenti circumdata praepetis umbra
 in quemcumque tremens hominem cadit — haut secus illa
 acta timore graui mediam se misit; at ille 35
 excepit blandoque prior sic ore locutus:
 'o decus in nostros magnum uentura penates,
 solaque tantarum uirgo haut indigna uiarum
 causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro
 uellera teque meae satis est quaesisse carinae. 40
 uerum age et hoc etiam, quando potes, adice tantis
 muneribus meritisque tuis; namque aurea iussi
 terga referre sumus; socios ea gloria tangit.'
 sic ait et primis supplex dedit oscula palmis.
 Contra uirgo nouis iterum singultibus orsa est: 45
 'linquo domos patrias te propter opesque meorum;
 nec iam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
 uota sequor: serua hanc profugae, prior ipse dedisti
 quam (scis nempe) fidem. di nostris uocibus adsunt,
 sidera et haec te meque uident: tecum aequora, tecum 50
 experiar quascumque uias, modo nequis abactam
 huc referat me forte dies oculisque parentis
 ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.'
 Haec ait adque furens rapido per deuia passu
 tollitur. ille haeret comes et miseratur euntem, 55
 cum subito ingentem media inter nubila flammam
 conspicit et saeua uibrantes luce tenebras.
 'quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
 sidus?' ait. reddit trepido cui talia uirgo:
 'ipsius en oculos et lumina torua draconis 60

aspicis: ille suis haec uibrat fulgura cristis,
 meque pauens non iam solam uidet, haud uocat ultro,
 ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
 dic age nunc, utrum uigilanti hostemque uidenti
 exuias auferre uelis, an lumina somno 65
 mergimus et domitum potius tibi tradimus anguem?
 ille silet; tanta subiit ui uirginis horror.

Iamque manus Colchis uirgamque intenderat astris,
 carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
 Somne pater. 'Somne omnipotens, te Colchis ab omni 70
 orbe uoco inque unum iubeo nunc ire draconem,
 quae freta saepe tuo domui, quae nubila cornu
 fulminaque et toto quicquid micat aethere; sed nunc,
 nunc age maior ades fratrique simillime Leto.
 te quoque, Phrixeae pecudis fidissime custos, 75
 tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
 quem metuis me astante dolum? seruabo parumper
 ipsa nemus; longum interea tu pone laborem.'
 ille haut Aeolio discedere fessus ab auro
 nec dare permissae (quamuis iuuet) ora quieti 80
 sustinet; ac primi percussus nube soporis
 horruit et dulces excussit corpore somnos.
 contra Tartareis Colchis spumare uenenis
 cunctaque Lethaei quassare silentia rami
 perstat et aduerso luctantia lumina cantu 85
 obruit atque omnem linguaque manuque fatigat
 uim Stygiam, ardentes donec sopor occupet iras.
 iamque altae cecidere iubae, nutatque coactum
 iam caput atque ingens extra sua uellera ceruix,
 ceu refluens Padus aut septem proiectus in amnes 90
 Nilus et Hesperium ueniens Alpheos in orbem.
 ipsa caput cari postquam Medea draconis
 uidit humi, fuis circum proiecta lacertis
 seque suumque simul fleuit crudelis alumnum.
 'non ego te sera talem sub nocte uidebam 95
 sacra ferens epulasque tibi, nec talis hianti
 mella dabam ac nostris nutribam fida uenenis.

quam grauida nunc mole iaces! quam segnis inertem
 fiatus habet! nec te saltem, miserande, peremi!
 heu saeuum passure diem! iam nulla uidebis 100
 uellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
 cede adeo inque aliis senium nunc digere lucis
 immemor, oro, mei: nec me tua sibila toto
 exagitent infesta mari. sed tu quoque cunctas,
 Aesonide, dimitte moras, atque effuge raptis 105
 uelleribus. patrios extinxi noxia tauros;
 terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
 corpus habes, iamque omne nefas, iam, spero, peregi.
 quaerenti tunc deinde uiam, qua se arduus heros
 ferret ad aurigerae caput arboris, 'eia, per ipsum 110
 scande age et aduerso gressus' ait 'imprime dorso.'
 nec mora fit. dictis fidens Cretheia proles
 calcat et, aeriam quamuis, perfertur ad ornum,
 cuius adhuc rutilam seruabant brachia pellem,
 nubibus accensis similem aut cum ueste recincta 115
 labitur ardenti Thaumantias obuia Phoebos.
 corripit optatum decus extremumque laborem
 Aesonides, longosque sibi gestata per annos
 Phrixeae monumenta fugae uix reddidit arbor
 cum gemitu tristesque super coiere tenebrae. 120
 egressi relegunt campos et fluminis ora
 summa petunt. micat omnis ager, uillisque comantem
 sidereis totos pellem nunc fundit in artus,
 nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistrae.
 talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris 125
 ibat, adhuc aptans umeris capitique leonem.
 ut uero sociis, qui tunc praedicta tenebant
 ostia, per longas apparuit aureus umbras,
 clamor ab Haemonio surgit grege; se quoque gaudens
 promouet ad primas iuueni ratis obuia ripas. 130
 praecipites agit ille gradus adque aurea misit
 terga prius; mox attonita cum uirgine puppem
 insilit ac rapta uictor consistit in hasta.

Interea patrias saeuus uenit horror ad aures

fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque 135
 uirginis. hinc subitis effulsit frater in armis,
 urbs etiam mox tota coit, uolat ipse senectae
 immemor Aetes, complentur litora bello
 nequiquam; fugit inmissis nam puppis habenis.
 Mater ad hanc ambas tendebat in aequora palmas 140
 et soror adque omnes aliae matresque nurusque
 Colchides aequalesque tibi, Medea, puellae.
 extat sola parens impletque ululatibus auras.
 'siste fugam, medio refer huc ex aequore puppem;
 nata, potes. quo' clamat 'abis? hic turba tuorum 145
 omnis et iratus nondum pater; haec tua tellus
 sceptraque. quid terris solam te credis Achaeis?
 quis locus Inachias inter tibi, barbaras, natas?
 istane uota domus expectatque hymenaei?
 hunc petii grandaeva diem? uellem unguibus uncis, 150
 ut uolucris, possem praedonis in ipsius ora
 ire ratemque supra, claroque reposcere cantu
 quam genui. Albano fuit haec promissa tyranno,
 non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
 Aesonide; non hoc Pelias euadere furto 155
 te iubet aut ullas Colchis abducere natas.
 uellus habe et nostris siquid super accipe templis.
 sed quid ego quemquam inmeritis incuso querellis?
 ipsa fugit tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
 hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti) 160
 ex quo Thessalici subierunt *litora remi*,
 quod nullae te, nata, dapes, non ulla iuuabant
 te ioca. non ullus tibi tum color, aegraque uerba
 errantesque genae; atque alieno ad gaudia uultu
 semper eras. cur tanta mihi non prodita pestis, 165
 ut gener Aesonides nostro consideret aula
 nec talem paterere fugam? commune fuisset
 aut certe tecum omne nefas, iremus et ambae
 in quascumque uias; pariter petiisse iuuaret
 Thessaliam et saeui qualemcumque hospitis urbem.' 170
 sic genetrix, similique implet soror omnia questu

exululans; famulae pariter clamore supremo
in uacuos dant uerba notos dominamque reclamant
nomine; te uenti procul et tua fata ferebant.

Inde diem noctemque uolant. redeuntibus aura 175

gratior, et notae Minyis transcurrere terrae,
cum subito Erginus puppi sic fatur ab alta.

'uos' ait 'Aesonide, contenti uellere capto,
nec uia quae superet nec quae fortuna uidetis.

crastina namque dies trucis ad confinia ponti 180

Cyaneasque uocat, meminique, o Tiphys, tuorum
saxa per illa, pater, memini, uenerande, laborum.

mutandum, o socii, nobis iter; altera ponti
eluctanda uia et cursu, quem fabor, eundum est.

haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri, 185

fundere non uno tantum quem flumina cornu
accipimus; septem exit aquis, septem ostia pandit.

illius aduersi nunc ora petamus et undam,

quae latus in laeuum ponti cadit; inde sequemur

ipsius amnis iter, donec nos flumine certo 190

perferat inque aliud reddat mare. sint age tanti,

Aesonide, quaecumque morae, quam saeua subire

saxa iterum, quam Cyaneos perrumpere montes;

sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis.'

haec ait ignarus fixas iam numine rupes 195

stare neque aduersis ultra concurrere saxis.

reddidit Aesonides: 'et te, fidissime rector,

haud uani tetigere metus, nec me ire recuso

longius et cunctis redeuntem ostendere terris.'

protinus inde alios flexu regesque locosque 200

adsuetumque petunt plaustris migrantibus aequor.

Puppe procul summa uigilis post terga magistri

haeserat auratae genibus Medea Mineruae;

adque ibi deiecta residens in lumina palla

flebat adhuc, quamquam Haemoniis cum regibus iret, 205

sola tamen nec coniugii secura futuri.

illam Sarmatici miserantur litora ponti,

illa Thoanteae transit defleta Dianae.

nulla palus, nullus Scythiae non maeret euntem
 amnis; Hyperboreas mouit conspecta pruinas, 210
 tot modo regna tenens; ipsi quoque murmura ponunt
 iam Minyae, iam ferre uolunt. uix alleuat ora
 ad seras, siquando, dapes, quas carus Iason
 ipse dabat, iam nubiferam transire Carambin
 significans, iam regna Lyci, totiensque gementem 215
 fallit ad Haemonios hortatus surgere montes.
 Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae,
 toruus ubi et ripa semper metuendus utraque
 in freta per saeuos Hister descendit alumnos;
 soluere in hoc tandem resides dux litore curas, 220
 ac primum socios ausus sua pacta docere
 promissamque fidem thalami foedusque iugale.
 ultro omnes laeti instigant meritamque fatentur.
 ipse autem inuitae iam Pallados erigere aras
 incipit Idaliae numen nec spernere diuae. 225
 praecipueque sui, siquando, in tempore pulcher
 coniugii Minyas numquam magis eminet inter;
 qualis sanguineo uictor Graduius ab Hebro
 Idalium furto subit aut dilecta Cythera;
 seu cum caelestes Alcidae inuisere mensas 230
 iam uacat et fessum Iuno iam destinat Hebae.
 adfuit unanimis Venus, hortatorque Cupido
 suscitatur adfixam maestis Aetida curis;
 ipsa suas illi croceo subtegmine uestes
 induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam 235
 donat et arsuras alia cum uirgine gemmas.
 tum nouus impleuit uultus honor, ac sua flauis
 reddita cura comis, graditurque oblita malorum.
 sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
 laetaque iam Cybele festaeque per oppida taedae, 240
 quis modo tam saeuos adytis fluxisse cruores
 cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri?
 inde, ubi sacrificas cum coniuge uenit ad aras
 Aesonides, unaque adeunt pariterque precari
 incipiunt, ignem Pollux undamque iugalem 245

praetulit, et dextrum paterae uerguntur in orbem.
 sed neque se pingues tum candida flamma per auras
 explicuit, nec tura uidet concordia Mopsus,
 promissam nec stare fidem, breue tempus amorum.
 odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque, 250
 et tibi iam nullos optauit, barbaras, natos.
 mox epulas et sacra parant; siluestria laetis
 praemia uenatu facili quaesita supersunt;
 pars ueribus, pars undanti despumat aeno.
 gramineis ast inde toris discumbitur, olim 255
 Hister anhelantem Peucen quo presserat antro.
 ipsi inter medios rosea radiante iuuenta
 altius inque sui sternuntur uelleris auro.
 Quis nouus inceptos timor inpediit hymenaeos
 turbauitque toros et sacra calentia rupit? 260
 Absyrtus subita praeceps cum classe parentis
 aduehitur profugis infestam lampada Graiis
 concutiens diroque premens clamore sororem:
 'heia agite, o si quis uobis dolor iraque, Colchi,
 adcelerate uiam; neque enim fugit aequore raptor 265
 Iuppiter, haut falsi sequimur uestigia tauri.
 puppe (nefas) una praedo Phrixia reportat
 uellera; qua libuit remeat cum uirgine; nobis
 (o pudor!) et muros et stantia tecta reliquit.
 quid mihi deinde satis? nec quaero uellera nec te 270
 accipio, germana, datam; nec foederis ulla
 spes erit aut irae quisquam modus. inde reuerti
 patris ad ora mei tam paruo in tempore fas sit?
 quinquaginta animae me scilicet unaque mersa
 sufficiet placare ratis? te, Graecia fallax, 275
 persequor adque tuis hunc quasso moenibus ignem;
 nec tibi digna, soror, desum ad conubia frater.
 primus et ecce fero quatioque hanc lampada uestro
 coniugio, primus celebros dotalia sacra,
 qui potui; patriae ueniam da, quaeso, senectae. 280
 quin omnes alii, pariter populusque patresque,
 mecum adsunt. magni uirgo ne regia Solis

Haemonii thalamos adeas despecta mariti,
tot decuit comitare rates, tot fulgere taedas.'

Dixerat atque orans iterat remosque uirosque, 285
perque ratis suppleat regis uerba illa magistri.
illi autem intorquent truncis frudentibus undam,
quaeque die fuerat raptim formata sub uno
et tantum deiecta suis a montibus arbor
(quid dolor et ueterum potuit non ira uirorum?) 290
haud longis iam distat aquis, sequiturque uolantem
barbara Palladium puppem ratis, ostia donec
Danubii uiridemque uident ante ostia Peucen,
ultimaque adgnoscent Argoi cornua mali.
tum uero clamorem omnes inimicaque tollunt 295
gaudia, tum grauior remis fragor, ut procul Argo
uisa uiris, unamque petunt rostra omnia puppem.
princeps naualem nodosi roboris uncum
arripit et longa Styrius prospectat ab unda,
coniugio atque iterum sponsae flammatus amore. 300
iamque alii clipeos et tela trabalia dextris
expediunt, armant alii picis unguine flammam.
inpatiens tremit hasta morae, nec longius inter,
quam quod tela uetet, superest mare. uocibus urgent
interea et pedibus pulsant tabulata frementes. 305

Cum subitas uidere rates uibrataque flammis
aequora, non ulla Minyae formidine surgunt,
primus et in puppem deserta uirgine ductor
prosilit et summa galeam rapit altus ab hasta,
ense simul clipeoque micat; nec cetera pubes 310
segnius adreptis in litore constitit armis.
at tibi quae scelerum facies, Medea, tuorum?
quisue pudor Colchos iterum fratremque uidenti
quidquid et abscisum uasto iam tuta profundo
credideras? ergo infausto sese occulit antro, 315
non aliud quam certa mori, seu carus Iason
seu frater Graia uictus cecidisset ab hasta.

Haud ita sed segnis summo sedet aethere Iuno
aut sinit extrema Minyas decernere pugna,

nec numero quoniam Colchis nec puppibus aequos. 320
 ergo ubi diua rates hostemque accedere cernit,
 ipsa subit terras tempestatumque refringit
 uentorumque domos. uolucrum gens turbida fratrum
 erumpit, classem dextra Saturnia monstrat.
 uidere, inque unum pariter mare protinus omnes 325
 infesto clamore ruunt inimicaque Colchis
 aequora et aduersos statuunt a litore fluctus.
 Tollitur atque intra Minyas Argoaque uela
 Styrys adest; uasto rursus desidit hiatu
 abrupta reuolutus aqua. iamque omnis in astra 330
 itque reditque ratis, lapsoque reciproca fluctu
 descendit. uorat hos uertex, hos agmine toto
 gurges agit. simul in uultus micat undique terror,
 crebra ruina poli caelestia limina laxat.
 non tamen ardentis Styri uiolentia cedit. 335
 hortatur socios media inter proelia diuum:
 'transferet ergo meas in quae uolet oppida dotes
 Colchis? et Haemonius nobis succedet adulter?
 nec mihi tot magnos inter regesque procosque
 profuerit prona haud dubii sententia patris? 340
 an uirtus praelata uiri est et fortior ille,
 quem sequitur? iungam igniferos sine carmine tauros,
 saeuaque Echionii ferro sata persequar hydri.
 hoc adeo interea specta de litore pugnas
 amborum, uictoris eris; iam digna uidebis 345
 proelia, iamque illud carum caput ire cruenta
 sub freta, semiuiri nec murra corpus Achiui,
 sed pice, sed flammis, set olentis sulphure crines.
 uos modo uel solum hoc fluctus expellite corpus,
 non te, Aeeta pater, generi aut, Sol magne, pudebit. 350
 fallor? an hos nobis magico nunc carmine uentos
 ipsa mouet diraque leuat maria ardua lingua?
 atque iterum Aesonides, iterum defenditur arte,
 qua solet? haut illi cantus et futille murmur
 proderit. ite, rates, et frangite uirginis undam.' 355
 dixit et intortis socio cum milite remis

prosilit; at fluctu puppis labefacta reuerso
 soluitur effunditque uiros ipsumque minantem
 tunc quoque et elata quaerentem litora dextra.
 ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem; 360
 incipit et remos et quaerere transtra solutae
 sparsa ratis, maestasque aliis intendere uoces
 puppibus; ast inter tantos succurrere fluctus
 nulla potest, quantum ille uelit; quotiensque propinquat,
 tunc aliud rursus dirimit mare. iam tamen extat, 365
 iamque abiit, fundoque iterum uiolentus ab imo
 erigitur; sed fluctus adest; magnoque sub altis
 turbine figit aquis, et tandem uirgine cessit.

Absyrtus uisu maeret defixus acerbo.

heu quid agat, qua ui portus et prima capessat 370
 ostia, qua possit Minyas inuadere, clausos
 quos uidet agnoscitque fremens; maria obuia contra
 saeuaque pugnat hiemps, totusque in uertice pontus.
 adspectu tandem uanaque recedit ab ira

et tanta de clade ratis. latus inde sinistrum 375
 aduersamque procul Peuces defertur in oram
 cum sociis; gemino nam cingitur insula flexu
 Danubii. hac tuta Minyae Pagasaeaque puppis
 in statione manent; illinc Aetius heros
 obsidet aduersa tentoria Thessala classe 380
 inpatiens, pugnaeque datur non ulla potestas.
 noctes atque dies uastis mare fluctibus inter
 perfurit, expediant donec Iunonia sese
 consilia atque aliquem bello ferat anxia finem.

At Minyae tanti reputantes ultima belli 385
 urgent et precibus cuncti fremituque fatigant
 Aesoniden. quid se externa pro uirgine clausos
 obiciat, quidue illa pati discrimina cogat?
 respiceret pluresque animas maioraque fata
 tot comitum, qui non furtis nec amore nefando 390
 per freta, sed sola sese uirtute sequantur.
 an uero, ut thalamis raptisque indulgeat unus
 coniugiis? id tempus enim! sat uellera Grai,

et posse oblata componere uirgine bellum.
 quemque suas sinat ire domos, nec Marte cruento 395
 Europam adque Asiam prima haec committat Erinys.
 namque datum hoc fatis, trepidus supplexque canebat
 Mopsus, ut in seros irent magis ista nepotes,
 adque alius lueret tam dira incendia raptor.

Ille trahens gemitum tantis ac uocibus inpar, 400
 quamquam iura deum et sacri sibi conscia pacti
 religio dulcisque mouent primordia taedae,
 cunctaturque moramque cupit sociamque pericli

* * *

cogitat: haut ultra sociis obsistere pergit.
 haec ubi fixa uiris, tempus fluctusque quietos 405
 expectant: ipsam interea, quid restet, amantem
 ignorare sinunt decretaque tristia seruant.

Sed miser ut uanos, ueros ita saepe timores
 uersat amor, fallique sinit nec uirginis annos.
 ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit 410
 non fidi iam signa uiri nimiumque silentes
 iam comites. haut illa sui tamen immemor umquam,
 nec subitis turbata minis, prior occupat unum
 Aesoniden, longeque trahit, mox talibus infit:
 'me quoque quin tecum Minyae, fortissima pubes, 415
 nocte dieque mouent? liceat cognoscere tandem,
 si modo Peliacae non sum captiua carinae,
 nec dominos despecta sequor, consultaque uestra
 fas audire mihi. uereor, fidissime coniunx,
 nil equidem; miserere tamen promissaque serua 420
 usque ad Thessalicos saltem conubia portus,
 inque tua me sperne domo. scis te mihi certe,
 non socios iurasse tuos. hi reddere forsan
 fas habeant, tibi non eadem permissa potestas.
 teque simul mecum ipsa traham; non sola reposcor 425
 uirgo nocens, atque hac pariter rate fugimus ambo.
 an fratris te bella mei patriaeque biremes
 terrificant magnoque inpar urgeris ab hoste?

finge rates alias et adhuc maiora coire
 agmina; nulla fides? nullis ego digna periclis? 430
 non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
 uellem equidem nostri tetigissent litora patris
 te sine duxque illis alius quicumque fuisset.
 nunc remeant, meque ecce (nefas), me reddere poscunt;
 nec spes ulla super. quin tu mea respice saltem 435
 consilia et nimio comitum ne cede timori.
 credit ardentibus quis te tunc iungere tauros
 posse? quis ad saeui uenturum templa draconis?
 o utinam ergo meus pro te non omnia posset
 adque aliquid dubitaret amor! quin nunc quoque quaere 440
 quid iubeas. heu dure siles? magnumque minatur 463
 nescio quid tuus iste pudor? mene, optime quondam 441
 Aesonide, me ferre preces et supplicis ora
 fas erat? haud hoc nunc genitor putat, hanc dare poenas
 iam sceleris dominumque pati? sic fata parantem
 reddere dicta uirum furiata mente refugit 445
 uociferans. qualem Ogygias cum tollit in arces
 Bacchus et Aoniis inlidit Thyada truncis,
 talis erat talemque iugis se uirgo ferebat
 cuncta pauens: fugit infestos uibrantibus hastis
 terrigenas, fugit ardentibus exterrita tauros. 450

* * *

si Pagasas uel Peliacas hinc denique nubes
 cerneret et Tempe tenui lucentia fumo:
 hoc uisu contenta mori. tunc tota querellis
 egeritur questuque dies, eademque sub astris 455
 sola manet, maestis ueluti nox illa sonaret
 plena lupis quaterentque truces ieiuna leones
 ora uel orbatae traherent suspiria uaccae.

* * *

procedit non gentis honos, *non gloria magni*
 Solis aui, non barbaricae decor ille iuuentae,
 qualis erat, cum Chaonio radiantia trunco 460

uelleram uexit ouans, interque ingentia Graium
nomina Palladia uirgo stetit altera prora.

* * *

haeret, et hinc praesens pudor, hinc decreta suorum
dura premunt. utcumque tamen mulcere gementem 465
temptat et ipse gemens et lenit pectora dictis:
'mene aliquid metuisse putas? me talia uelle?'

* * *

INDEX NOMINUM.

- Abaris *Cyzicenus* 3, 152
 Abas *pater Canthi Argonautae* 1, 453
 Absyrtus *Aetae filius* 5, 457; 6, 171. 517; 8, 261. 369
 Abydus *urbs* 1, 285
 Acamans *Cyclops* 1, 583
 Acastus *Pelidae filius, Argonauta* 1, 153. 164. 485. 695. 709; 6, 720
 Acesina *agmina* 6, 69
 Achaeae *terrae* 3, 697; 8, 147, *urbes* 6, 46; *Nymphae* 3, 542
 Achaemenia *pugna* 6, 65
 Acheron 4, 73. 595. *Acherusidos orae* 5, 73
 Achilles 1, 133. 256. 408
 Achiuus (*Achiui*) 3, 86; 4, 737; 5, 434. 552; 6, 10. 544. 734; 8, 347. *Achiuus dux* 6, 450. *Achiua iuba* 6, 606
 Actaea *soror* 4, 465. *Actaeae orae* 1, 394. *Actaeus Bootes* 2, 68. *Actaeus Phalerus* 6, 217
 Actor *Lapitha* 1, 146
 Actorides *Menoetius* 1, 407
 Admetus *Argonauta* 1, 445
 Admon (?) *Cyzicenus* 3, 167
 Aea *a Phaside amata* 5, 425
 Aea 1, 742; 5, 51; 6, 96.
- Aeaeus 1, 451; 5, 277. 547. 620; 6, 189; 7, 119. 191. 281
 Aeacides a) *Peleus* 1, 139. 405; 2, 427. b) *Telamon* 2, 511; 3, 693. 715. 722; 6, 348. *Aeacidae* 4, 223; 5, 573
 Aetes 1, 43; 2, 379; 3, 495; 4, 14; 5, 285. 289. 317. 393. 401. 553. 586. 596. 685; 6, 13. 22; 7, 89. 640; 8, 11. 138. 350 *Aetis* 6, 481; 7, 445; 8, 233 *Aetius* 6, 267. 542. 691; 7, 505. 565; 8, 379
 Aegaeum 2, 366. *Aegaeum profundum* 1, 160; 2, 383.
Aegaea caerulea 1, 561
Aegon mare Aegaeum 1, 629; 4, 715
Aemathia 2, 641
Aeneadum genus 2, 574
Aenidae Cyziceni 3, 4
Aeolus uentorum rex 1, 417. 587. 598. *Aeolia insula* 1, 576; 6, 354. *Aeolia porta* 1, 654
Aeolus Hellenis filius, Phrixiauuus 5, 477. *Aeolius* 1, 770; 2, 595; 6, 542. 548; 7, 54.

- 517; 8, 79. *Aeolides Phrixus*
1. 286. *Aeolidae* 5, 461
Aesepia flumina 3, 420
Aeson 1, 72. 144. 149. 152.
296. 335. 734. 776. 763. 825;
4, 549; 5, 48; 7, 494. *Ae-*
sonius 1, 32. 241. 660; 3,
240; 4, 8; 5, 294; 6,
579. 687; 7, 178. 188.
Aesonides 1, 98. 161. 194.
226. 464. 488; 2, 334. 346.
380. 385. 660; 3, 8. 339.
369; 4, 675. 738. 755; 5, 4.
35. 302. 543. 571. 577. 784.
636; 6, 173. 429. 592. 655.
684. 736; 7, 165. 409. 464.
476. 490. 530. 541. 587. 594.
639. 645; 8, 105. 118. 155.
166. 178. 192. 197. 244. 353.
387. 414. 442
Aethalides Argonauta 1, 437
Aetna 2, 29. 95; 4, 287.
Aetnaeus 2, 420; 4, 104
Africus 2, 506
Agenor pater Phinei 4, 444.
Agenorea tecta 4, 522. *Age-*
norides 4, 582
Alani 6, 42. 656
Alazon fluvius 6, 101
Alba 2, 304
Albana porta 3, 497. *Alba-*
nus (tyrannus) Styru 5, 258;
6, 44. 271; 8, 153. *Albanae*
orae 5, 459. *Albanus Cre-*
medon 6, 194
Alcides 1, 35. 354; 2, 451.
462. 521. 533. 543; 3, 65.
475. 550. 580. 586. 644. 662.
701. 724; 4, 62. 78. 247. 701;
5, 90. 156. 172. 488. 574; 8,
230
Alcimedea 1, 297. 317. 335.
731
Almo fluvius 8, 239
Aloidae 5, 651
Alpes 8, 393
- Alpheos fluvius* 8, 91
Amanus mons 1, 493
Amastris Scythae 6, 554
Amastrus Cyzicenus 3, 145
Amazon 5, 89. *Amazonidum*
gens 4, 602
Ambenus mons 6, 85. *Am-*
benus Scythae 6, 251
Ambrosius Cyzicenus 3, 138
Amnes 1, 106; 2, 537; 7, 391
Amores 6, 457; 7, 171
Amphidamas Argonauta 1, 376
Amphion Argonauta 1, 367;
3, 479
Amphitryoniades 1, 375. 635;
3, 733
Ampycides Mopsus 3, 420.
460; 5, 366
Amyclae 4, 312; 6, 219.
Amyclaea herba 1, 426
Amycus 4, 101. 148. 160. 165.
232. 243. 276. 296. 317. 651.
745; 6, 626
Amymone fluvius 4, 374
Amyros fluvius 2, 11
Amythaon Lemnius 2, 162
Anausis Alanus 6, 43. 266.
272
Ancaeus Argonauta 1, 191.
377. 413; 3, 138; 5, 64
Ancon fluvius 4, 600
Anxur Scythae 6, 68
Aoniae arae 1, 379. *Aonii*
trunci 8, 447
Apidanus fluvius 1, 357
Apollo 1, 234. 567; 2, 492;
4, 61. 445; 5, 17. 112. 693
Apres Colchus 6, 638
Aquilo 4, 432
Aquilonia proles 4, 462
Aquites Phasidis sacerdos 6,
295
Arabes 6, 139
Arcadius 1, 108. 481; 4, 384
Arcas 1, 36; 5, 205; 7, 543.
Arcas stella 5, 370

- Arctos *sidus* 1, 419; 4, 210; 5, 46. 155. 272. 317; 6, 40. 140. 147. Arctous 3, 499; 5, 619; 6, 295. 330
 Arene *mater Lyncei et Idae* 1, 463
 Ares *Cyzicenus* 3, 203
 Argi *urbs* 1, 107. 239; 3, 666; 4, 360; 5, 487. Argiuis 4, 352; 6, 202. 324
 Argo *navis* 1, 273. 441. 648; 6, 317; 8, 194. 296. Argous 3, 3. 430. 691; 5, 435; 6, 116. 731; 7, 573; 8, 294. 328
 Argolicus 1, 96; 6, 286. 334. 462. 676
 Argos 1, 359
 Argus *Argonauta, fabricator navis* 1, 93. 314. 477; 2, 390
 Argus *Phrisci filius* 5, 460; 6, 553
 Argus *custos Ius* 4, 366. 367. 370. 383. 388
 Ariasmenus *Scytha* 6, 103. 387. 394. 423
 Aricia *urbs* 2, 305
 Arinaspi *gens Scythica* 6, 131
 Arimes *Colchus* 6, 638
 Armenia 5, 166
 Armes *Scytha* 6, 530
 Aron *Colchus* 5, 587; 6, 524. 536
 Arsinoe *urbs* 5, 422
 Asia 1, 542, 554; 2, 615; 4, 211, 728; 6, 334; 7, 43; 8, 396
 Assyrii *sinus* 5, 109
 Asterion *Argonauta* 1, 355
 Astraea *dea* 2, 363
 Athamas 1, 280
 Athos 1, 664; 2, 76. 201; 4, 322
 Atlans 1, 842; 2, 621; 5, 410.
- Atracia *uirgo* 1, 141. Atracium *uenenum* 6, 447
 Auchatae *gens Scythica* 6, 132
 Auchus *Cimmerius* 6, 60. 619
 Auernus 1, 782; 2, 603; 4, 493. 700; 5, 348. Auerna *palus* 6, 158
 Aulon *regio agri Messeniaci* 1, 389
 Aurora 1, 283; 2, 261; 4, 423; 5, 559
 Ausonia 7, 86. Ausonius 7, 232
 Autolycus *Herculis comes, postea Argonauta* 5, 114
- Bacchus 1, 260; 2, 70. 254. 272. 275. 348. 624; 3, 5. 538; 4, 237. 533; 5, 75. 192. 215. 497; 6, 137; 7, 301; 8, 447
 Balloniti *gens Scythica* 6, 161
 Barisas *Scytha* 6, 557
 Batarnae *gens Scythica* 6, 96
 Bebryx 2, 649; 4, 157. 261. 290. 315. Bebrycia 4, 743. 762; 5, 502. Bebrycius 4, 99. 220. 442. 590. 739; 6, 344
 Bellona 1, 546; 2, 228; 3, 60; 7, 636
 Bessi *gens Thraciae* 2, 231
 Bienor *Cyzicenus* 3, 112
 Bisaltae 6, 48
 Bistones 1, 726; 3, 83. Bistonina 3, 160
 Bithynus *palms* 3, 6
 Boebeis *lacus* 1, 449. Boebeia *proles* 3, 543
 Boeotia *Thyias* 5, 80
 Bootes *sidus* 2, 68; 7, 457
 Boreas 1, 575. 597. 604; 2, 515; 4, 630. 722; 6, 164; 7, 563
 Bosphoros 4, 345. 419
 Brotes *Cyzicenus* 3, 152
 Butes *Argonauta* 1, 394

- Byzeres *gens Pontica* 5, 152
 Byzes lacus 6, 68
 Cadmus 6, 137. Cadmeus 6, 437; 7, 76. Cadmeia seges 7, 290
 Caicus *Colchus* 6, 688
 Calabrum aruum 1, 683; 3, 729. Calabra saepta 3, 582
 Calais *Argonauta* 3, 692; 4, 465; 6, 557
 Caeldonius Oceanus 1, 8
 Callichorus *fluvius* 5, 75
 Calpe mons 1, 588
 Calydon 3, 646. 658; 4, 223; 5, 573
 Campesus *Colchus* 5, 590; 6, 243
 Cantus *Argonauta* 1, 166. 451; 3, 192; 6, 317. 346. 350. 364. 368; 7, 422
 Caphareus *promunturium* 1, 371
 Carambis *promunturium* 4, 599; 5, 107; 8, 214
 Caresus *Colchus* 6, 192
 Carmeus *Colchus* 5, 582
 Caspius *Scythia* 6, 189
 Capsia claustra 5, 124
 Caspiadae *gens Scythica* 6, 107
 Castor *Argonauta* 1, 425; 2, 427; 3, 187. 189. 330. 668. 723; 4, 226, 333; 5, 546. 549; 6, 204. 239
 Caucasus mons 5, 155. 161. 518; 6, 612; 7, 55. Cauca-seus 4, 63. 72; 5, 253. 381; 7, 190. 357. 565
 Caucasus *Colchus* 6, 641
 Cecropis arces 5, 646. Cecropia Orithyia 1, 468
 Celaeneus 3, 406
 Celaeno *Harpyia* 4, 453. 499
 Centores *gens Scythica* 6, 151
 Cepheus *Argonauta* 1, 375
 Ceramnus *Scythia* 6, 550
 Ceraunia 3, 465
 Ceres 1, 69. 254. 578; 2, 69; 3, 5; 4, 532; 5, 216
 Cessaei (?) *gens Scythica*: Cessaeae manus 6, 130
 Ceto 2, 317
 Chalcidicae harenae 1, 454
 Chalciope soror *Medeae* 6, 479; 7, 156
 Chalybes 4, 611; 5, 141
 Chaonius 1, 303; 8, 460
 Chaos 3, 831
 Chiron 1, 139. 255. 267. 407
 Choaspes *Colchus* 5, 602
 Choatrae *gens Scythica* 6, 151
 Cimmerii 3, 399. Cimmeriae opes 6, 61
 Circe 6, 445; 7, 120. 212. 217. 347. Circaeus 5, 327; 6, 426; 7, 544
 Cithaeron mons 5, 81
 Clanis *Centaurus* 1, 146
 Clarius deus 3, 299
 Cleonaeus hiatus 1, 34
 Cleopatra coniunx *Phinei* 4, 464
 Clio 3, 15
 Clite 3, 11. 314
 Clymenus *Argonauta* 1, 369
 Coastes *Scythia* 6, 155
 Cocytia pubes 4, 495
 Codrus *Lemnius* 2, 136
 Coelaetae *gens Scythica* 6, 81
 Coeus 2, 224
 Colaxes *dux Bisaltarum* 6, 48. 621. 646
 Colchi 1, 66. 201. 391. 743; 3, 82. 681. 698; 4, 618. 706; 5, 50. 178. 283. 421. 440. 451; 6, 30. 190. 242. 389. 417. 530. 691. 742; 7, 231; 8, 156. 313. 320. 326
 Colchis *Medea* 5, 349; 6, 46; 7, 153. 181. 190. 369. 389. 575. 584. 596. 625; 8, 2. 68. 70. 83. 338

- Colchis terra 1, 52; 2, 423; 5, 505. ora 5, 202. gens 5, 418. Colchides matres 8, 142
 Cometes pater Asterionis Argonautae 1, 356
 Coralli gens Scythica 6, 89
 Corythus Cyzicenus 3, 99
 Cotys Cyzicenus 3, 112
 Cremedon Albanus 6, 194
 Crenaeus Cyzicenus 3, 178
 Cretheus pater Aesonis 1, 42. 740; 5, 477. Cretheia uirgo 2, 612, proles 8, 112. Crethides 6, 609
 Crobialus urbs 5, 102
 Cromna urbs 5, 105
 Cupido Veneris filius 8, 232
 Cyanaeae 1, 60; 4, 562. 658. 681; 5, 85. 167; 8, 181. Cyanei fragores 5, 482. Cyanei montes 2, 382; 8, 193. Cyanaeae cautes 1, 630; 7, 42; rupes 4, 683
 Cybele 8, 240
 Cyclops 1, 136; 4, 287; 7, 648. Cyclopes 4, 104
 Cydrus Cyzicenus 3, 192
 Cyllaros equus Castoris 1, 426
 Cyllenius 4, 385. Cyllenia proles 1, 436
 Cymaea uates 1, 5
 Cymothoe 2, 606
 Cynosura 1, 17
 Cynthia 2, 56; 3, 558
 Cyris Scythia 6, 80
 Cyrnus Colchus 6, 297
 Cytaei Colchi 5, 466; 6, 427. 595. Cytaea uirgo 6, 156. Cytaeae terrae 6, 693. Cytaea agmina 6, 543
 Cythera 8, 229. Cytherea 2, 328; 7, 189; 8, 235
 Cytisorus filius Phrici 5, 462
 Cytoros urbs 5, 105
 Cyzicus rex 2, 637. 657; 3, 9. 22, 60. 220. 313. 326; 4, 441
 Daedalus 1, 704
 Dahae 2, 157
 Danai 1, 371. 555; 6, 173
 Danubius 8, 293. 378
 Daraps Gangarides 6, 66. 572
 Dardanius 2, 445. 582
 Datis Gangarides 6, 65
 Deileon Hercules comes postea Argonauta 5, 114
 Delius 1, 146: D. sacerdos 3, 432
 Deucalion Argonauta 1, 366
 Diana 2, 7. 301; 4, 60; 5, 238. 345. 379; 6, 73; 7, 179; 8, 208
 Didymaon 3, 707
 Dindyma mons 3, 20. 232
 Dione 7, 187
 Dipsas Scythia 6, 192
 Dirae 4, 586
 Dis 1, 780; 3, 520; 4, 411; 6, 112; 7, 313
 Discordia 2, 204; 7, 468
 Dodonis quercus 1, 302
 Dolionius rex Cyzicus 5, 7
 Doloopia busta 2, 10
 Dolus 2, 206
 Dorceus Cyzicenus 3, 159
 Dorica nox 2, 573
 Doryclus Lemnius 2, 149
 Doto 1, 134
 Drancaea phalanx 6, 106, legio 6, 507
 Dryope Lemnias 2, 174, nymppha 3, 529
 Dymas 4, 187
 Echeclus Cyzicenus 3, 138
 Echion Argonauta 1, 440; 4, 134. 734; 7, 543
 Echionius Thebanus 7, 301. 554; 8, 343
 Edoni uenti 6, 340
 Egeriae nemus 2, 304
 Electria tellus 2, 431

- Eleus parens 4, 227
 Elis 1, 389. 665
 Elysium 1, 650
 Emoda mons 6, 143
 Enipeus fluvius 1, 83. 357;
 5, 208
 Ensis sidus 2, 68
 Enyo 1, 501; 4, 604
 Eous 2, 72; 3, 539
 Erebus 2, 120; 3, 410; 4, 407;
 6, 292
 Erginus *Argonauta* 1, 415; 5,
 65; 8, 177
 Eribotes *Argonauta* 1, 402;
 3, 478
 Eridanus fluvius 5, 430
 Erinys 2, 281; 3, 19; 4, 74.
 617; 5, 146; 7, 112. 462; 8,
 396
 Erymanthus 2, 495. Eryman-
 theus 1, 374
 Erymus *Cyzicenus* 3, 194
 Erythia urbs 5, 106
 Eryx mons 2, 523; 4, 322
 Euarchus fluvius 6, 102
 Euboici montes 6, 321. Eu-
 Eboicae undae 1, 373
 Eumenides 2, 228; 3, 54. 217.
 228
 Euphemus *Argonauta* 1, 365
 Euripus 1, 454
 Europa 2, 616; 4, 727; 8,
 396
 Eurotas fluvius 1, 430
 Eurus 1, 538. 594. 613. 639;
 2, 365
 Euryale *Amazonis* 5, 612; 6,
 370
 Eurymenae urbs 2, 14
 Eurynome *Lemnias* 2, 136
 Eurystheus 1, 114
 Eurytion *Argonauta* 1, 378
 Eurytus *Argonauta* 1, 439; 3,
 99. 471; 6, 569
 Exomatae gens *Scythica* 6,
 144. 146. 569
 Fama dea 2, 116 sqq.
 Fas 1, 796
 Fauni 1, 105
 Fortuna 1, 326; 2, 176. 474.
 595; 3, 293; 5, 113. 530
 Fuga 6, 181
 Furiae 1, 817; 3, 520; 4, 13
 5, 42; 7, 170; 8, 20
 Furor 7, 510
 Galatea 1, 135
 Gangaridae gens *Scythica* 6,
 67
 Gargara mons 2, 360. 584
 Gaudia mala leti 6, 179
 Gelas *Scythia* 6, 208
 Geloni *Scythae* 6, 512; 7, 236
 Genetaeus Iuppiter 5, 147
 Genysus *Cyzicenus* 3, 114
 Geraestus *promunturium* 1,
 456
 Gerus fluvius 6, 67
 Gesander rex *Iazygum* 6, 280.
 303. 365
 Gessithous *Colchus* 6, 637
 Getae 5, 419. 600; 6, 507.
 Geticus 2, 204. 232; 5, 618;
 6, 619; 7, 645
 Glaucus deus marinus 1, 190;
 2, 286. 606
 Glaucus *Cyzicenus* 3, 153
 Gorgo 3, 54. Gorgoneus 4,
 605; 6, 176
 Gortyn urbs 1, 708
 Gradivus 3, 498; 4, 281. 602;
 5, 122. 142. 251. 618. 650;
 6, 1; 8, 228
 Graecia 1, 19; 7, 41. 132.
 496; 8, 275
 Graiugenae 2, 557; 6, 389
 Graius (*adj.*) 1, 18. 33. 56.
 113. 507. 519. 523. 599; 2,
 656; 3, 452; 4, 402; 5, 116.
 255. 293. 687; 6, 5. 351.
 498; 8, 317
 Graius (Grai) 1, 498. 543.

550. 604; 4, 740; 5, 362. 386.
523; 6, 190. 758; 7, 39. 550;
8, 262. 393. 461
- Haemonia** 1, 22; 4, 736. *Haemonidae* 4, 506; 5, 127; 6, 371. *Haemonius* 1, 120; 2, 353. 425. 593. 637; 3, 27. 285. 536; 5, 262; 6, 18. 448. 653; 7, 17. 56. 326. 350. 524. 549; 8, 16. 129. 205. 216. 283. 338
- Haemus mons* 1, 24. 727
- Hages Cyzicenus* 3, 191
- Hagniades Tiphys* 1, 482; 2, 48
- Halys fluuius* 5, 112. 120
- Halys Cyzicenus* 3, 157
- Hammon* 2, 482
- Harpe Amazonis* 6, 375
- Harpylae* 4, 428. 450. 525
- Hebe* 8, 231
- Hebrus fluuius* 2, 515; 4, 463; 6, 139; 7, 646; 8, 228
- Hebrus Cyzicenus* 3, 149
- Hebrus Scythia* 6, 618
- Hecate* 5, 335; 6, 113. 495; 7, 182. 353. 364. 521
- Helice stella* 1, 18; 5, 71
- Helix Scythia* 6, 570
- Helle* 1, 50. 167. 282. 425. 537; 2, 589. 630; 3, 7; 7, 57
- Henioche nutrix Medeae* 5, 357
- Heniochi gens Scythica* 6, 43
- Hercules* 3, 169. 532. 641. 649. 673. 704; 4, 84; 5, 115. 130. *Herculeus* 1, 118. 263. 387. 393. 435. 562; 2, 571; 3, 529. 600. 713; 5, 136
- Hesiona* 4, 164
- Hesperia* 4, 508. *Hesperius orbis* 8, 91
- Hiber fluuius* 5, 166
- Hiberi populus* 5, 559; 6, 507. 750; 7, 235
- Hiberia* 5, 601; 6, 120. *Hiberiae domus* 3, 730. *Hiberum mare* 2, 34
- Hippasus Lapitha* 1, 148
- Hippodamia* 7, 284
- Hippotades Aeolus* 1, 610
- Hister* 4, 718; 6, 329; 8, 185. 219. 256
- Hora mater Colaxis* 6, 58
- Horae* 4, 92
- Hyades* 2, 67
- Hylaei gens Scythica* 6, 74
- Hylas* 1, 110. 219; 3, 183. 184. 486. 537. 549. 569. 571. 596. 599. 725; 4, 18
- Hymettus mons* 1, 397; 5, 343
- Hypanis fluuius* 4, 719; 6, 147
- Hypanis Colchus* 6, 252
- Hyperboreae primae* 8, 210
- Hiperia fons* 4, 375
- Hyperionius curras* 2, 34. *Hyperionides Aetes* 5, 471
- Hypetaon Colchus* 6, 637
- Hypsipyle* 2, 244. 352. 400; 3, 342
- Hypso mater Deucalionis et Amphionis* 1, 367
- Hyrcani luci* 6, 114, *fratres* 6, 203. *Hyrcana antra* 6, 79, *signa* 3, 494
- Iachus* 1, 140
- Iapetus* 1, 564; 4, 74
- Iapyx uentus* 3, 611
- Iasia uirgo Io* 4, 353
- Iason* 1, 298; 2, 1. 402. 424. 592; 3, 269. 615; 4, 222. 537. 626. 648; 5, 62. 465. 469; 6, 546. 586. 645. 759; 7, 28. 221. 307. 341. 385. 396. 451. 515. 576, 600; 8, 213. 316
- Iaxartes Colchus* 5, 593
- Iazyges gens Scythica* 6, 122. 281

- Ida *mons* 1, 549; 2, 414. 519.
 583. *Idaea buxus* 1, 319,
mater 2, 536, *nemora* 2, 477
Idalium 8, 229
Idalia diua 8, 225
Idas Argonauta 1, 166. 461;
 3, 471; 4, 224; 6, 342. 382;
 7, 574
Idasmenus, Scytha 6, 196
Idmon Argonauta 1, 228. 360;
 3, 175. 440; 4, 546; 5, 2. 5.
 9. 27. 42; *cf.* Admon.
Idume 1, 12
Ilus 2, 473. 581. *Iliaci lares*
 2, 246; *Iliacus tyrannus* 4,
 59
Imbros insula 2, 443
Inachus fluuius 5, 209. *Ina-*
chius 1, 107; 3, 666; 4, 357.
 397. 8, 125. 148. *Inachis*
Io 4, 350
Inarime insula 3, 208
Indi 6, 117
Ino 8, 21. *Inous* 1, 280, 521;
 2, 608
Inopus fluuius 5, 104
Io 4, 346. 392. 416; 7, 111
Iolcos 1, 171
Ionius magister 7, 83
Ionium mare 1, 24; 4, 512.
Iphiclus Argonauta 1, 370
Iphiclus alter Argonauta 1,
 473
Iphinoe Lemnias 2, 162. 327
Iphis Argonauta 1, 441; 7,
 423
Iphitus Argonauta 1, 363; 3,
 480
Ira 5, 137
Irae 2, 205
Iris dea 4, 77; 7, 186. 189
Iris fluuius 4, 600; 5, 120
Iron Cyzicenus 3, 111
Iron Scythia 6, 201
Issedoniae phalanges 6, 750
Isthmos 8, 23
Itys Cyzicenus 3, 189
Iuli 1, 9
Iuno 1, 73. 96. 215; 2, 3. 85;
 3, 185. 487. 509. 534. 611.
 665; 4, 3. 7. 27. 55. 359.
 392. 416. 682; 5, 183. 280.
 286. 363. 401; 6, 429. 450.
 578. 590. 650. 680; 7, 154.
 186. 190. 442; 8, 318. *Iuno-*
nia Hebe 8, 231. *Iunonia*
consilia 8, 383
Iuppiter 1, 82, 133. 156. 247.
 303. 344. 372. 466. 663. 690.
 788. 795; 2, 52. 84. 305.
 358. 363. 416. 434. 560; 3,
 19. 89. 91. 131. 225. 385.
 401. 465. 578. 620. 667. 697;
 4, 28. 61. 70. 75. 122. 127.
 219. 256. 313. 327. 352. 360.
 365. 391. 414. 479. 520. 542.
 551. 560. 580. 684. 708. 757;
 5, 110. 147. 163. 204. 280.
 304. 478. 550. 572. 623. 653;
 6, 49. 53. 91. 137. 170. 391.
 463. 608. 621. 636. 653. 730;
 7, 568; 8, 266
Iuppiter stella 5, 371
Lacaena Clytaemnestra 7, 150
Lacon Pollux 1, 421; 4, 254.
 340; 6, 255
Lagea noualia 6, 118
Lampsacus urbs 2, 624
Laomedon 2, 552. *Laome-*
dontei penates 2, 474
Lapithes 5, 515; 7, 606. *La-*
pithae 4, 280; 5, 652
Latagus (Latacus) Colchus 5,
 602; 6, 572
Latiae urbes 1, 21. *Latii fasti*
 2, 245
Latmius uenator Endymion
 8, 28
Latona 4, 60, *Latonia* 3, 415;
 6, 159
Latris Hiberus 6, 121

- Laurentes terrae 6, 410
 Learchus 1, 280; 3, 68
 Ledaë genus 1, 562
 Leleges 3, 204
 Lemnos *insula* 2, 392; 2, 79.
 90. 95. 101. 108. 164. 198.
 311. 323. 401. 431; 4, 440
 Leodocus *Argonauta* 1, 358
 Lerna 1, 35; 2, 496; 3, 511
 Lesbos *insula* 3, 7
 Lethe 2, 483. Lethæus 8, 84
 Letum 2, 206
 Lexanor *Scythia* 6, 686
 Liber 1, 567
 Libya 1, 588; 7, 607. Liby-
 cum *latus* 2, 620, *litus* 6,
 411. Libys 1, 512
 Lipare *insula* 2, 96
 Lucifer 6, 527
 Luna 1, 284; 3, 196; 7, 330;
 8, 30
 Lyæus 1, 411; 2, 265; 5, 74
 Lycaeus deus *Pan* 6, 533
 Lyce *Amazonis* 6, 374
 Lycormas *fluvius* 3, 544
 Lyctius 3, 729
 Lycurgus 1, 729
 Lycus *rex Mariandynorum* 4,
 173. 589. 737; 5, 8. 62; 8,
 215
 Lyda *nurus* 4, 369
 Lynceus *Argonauta* 1, 462.
 467
 Lyrceia *tellus* 4, 355

 Macetum *pro* *Macedonum* 1,
 96
 Macrones *gens Pontica* 5, 151
 Maeotia *aequora* 4, 720, *pubes*
 6, 38. *Maeotis nymphea ma-*
ter Peuceonis 6, 565. *Maeotis*
lacus 6, 154
 Magnes *campus* 2, 9
 Malea *promunturium* 4, 261
 Mariandyni 4, 171. 733
 Mars 1, 223. 810; 2, 100; 3,
 90. 151; 5, 130. 228. 276.
 598; 6, 28. 39. 156. 336. 436.
 602. 751; 8, 395. *Martius*
 1, 319; 2, 388; 3, 53. 83.
 635; 5, 640; 6, 66; 7, 62.
 610
 Massagetæ 5, 125
 Massylus 3, 728
 Mater *Cybele* 7, 635
 Mauors 5, 667. 671; 6, 178.
 280. 694; 7, 519. 544. 645.
 Mauortia 2, 208; 5, 89. 612
 Maurus 3, 587
 Medea 5, 239. 257. 330; 6,
 44. 157. 276. 439. 575. 667.
 757; 7, 252. 409. 589. 632.
 637; 8, 92. 142. 203. 312
 Medi 5, 125. 601
 Medon *Cyzicenus* 3, 118
 Medores *Scythia* 6, 211
 Medusa 6, 396
 Melanthus *Cyzicenus* 3, 203
 Melas *Phruxi filius* 5, 461; 6,
 196 sqq.
 Meleager *Argonauta* 1, 435;
 6, 719
 Melie *nymphea* 4, 119
 Memphis 3, 361; 4, 407
 Menippe *A mazonis* 6, 377
 Menoetius *Argonauta* 6, 343
 Messeides *ndae* 4, 374
 Methone *urbs* 1, 388
 Minerua 5, 504; 8, 203
 Minoia *manus* 1, 706, *uirgo*
 7, 287
 Minyæ 1, 184. 274. 310. 439.
 519. 621; 2, 15. 324. 370.
 437; 3, 74. 219. 256. 272.
 284. 347. 363; 4, 6. 82. 98.
 246. 298. 423. 433. 529. 693;
 5, 28. 47. 167. 290. 298. 455.
 507. 620. 634. 679; 6, 4. 16.
 116. 427. 436. 482. 595; 7,
 26. 41. 90. 115. 189. 474; 8,
 176. 212. 227. 307. 319. 328.
 371. 378. 385. 415

- Moesi *gens Scythica* 6, 162 —
 luci II 360
 Moneses *Colchus* 6, 189
 Monesus *Colchus* 6, 651
 Monychus *Centaurus* 1, 146
 Mopsus *Argonauta* 1, 207.
 234. 384; 3, 98. 372. 378;
 4, 546; 5, 9. 95; 8, 248. 398
 Mossyni *gens Pontica* 5, 151
 Mulciber 2, 315; 5, 433
 Musa 3, 213; 6, 34. 516.
 Musarum chorus 5, 693
 Mycenae 1, 552; 3, 655; 5,
 645. Mycenaea uela 1, 381
 Mygdon *rex Phrygius* 3, 320
 Mygdonia mater 3, 47. Myg-
 donii planctus 8, 239
 Myrace 5, 50
 Myraces *Parthus* 6, 690. 717
 Mysia 3, 484

 Naubolides *Iphitus Argonauta*
 1, 362
 Nauplius *Argonauta* 1, 372;
 5, 65
 Neaera *Lemnius* 2, 141
 Nealces *Cyzicenus* 3, 191
 Nelides *Periclymenus Argo-*
nauta 1, 388. Nelidae 4,
 224
 Nemea 2, 495; 3, 511; 8, 125
 Nephelaeum pecus 1, 56
 Neptunus 1, 212. 456. 641;
 2, 26. 491. 497; 4, 109. 114.
 150. 209; 5, 478. Neptunius
 1, 363. 415; 2, 618; 4, 209.
 256; 5, 164
 Nereus 1, 450. 658
 Nessus *Centaurus* 1, 147
 Nestor *Argonauta* 1, 145. 380;
 3, 143; 6, 569
 Neurus *Hiberus* 6, 122
 Nilus 1, 20; 3, 361; 4, 346.
 409; 7, 607; 8, 91
 Nisaeus *Cyzicenus* 3, 198
 Noas *fluvius* 6, 100

 Nonacria proles *Echion* 4, 141
 Notus 1, 612. 640; 2, 506
 Nouas (?) *fluvius* 4, 719
 Nox 3, 252; 5, 398; 6, 752
 Nyctelius *Bacchus* 6, 755
 Nympha 3, 181. 522. 536. 542.
 561; 4, 23. 27; 5, 110. 381.
 478; 8, 217

 Oceanus 1, 589; 3, 404; 4,
 91; 5, 411. 565
 Ocheus *Scythia* 6, 200
 Ochus *Cyzicenus* 3, 148
 Ocreus *Colchus* 6, 251
 Odrussa *Colchus* 5, 591
 Odrysus Orpheus 1, 470, dux
 5, 99. Odrysium carmen 5,
 439. Odrysia ora 4, 467
 Oeagrus 4, 348
 Oebalides *Pollux* 4, 294. Oe-
 balius 1, 422; 4, 228. 272;
 6, 220
 Oebasus *Colchus* 6, 245
 Oenides *Meleager* 3, 690; 4,
 33; 6, 343
 Oenotria 1, 589
 Ogygius *Bacchus* 2, 624. Ogy-
 giae arces 8, 446
 Oileus *Argonauta* 1, 372
 Olbus *Colchus* 6, 638
 Olenius *Lemnius* 2, 163
 Olenius *Cyzicenus* 3, 106.
 Olenides Phocceus 3, 204
 Olympus 1, 4. 199; 2, 38. 66.
 85; 3, 380; 5, 1. 378. 691;
 7, 158. 378, mons 1, 25
 Oncheus *Scythia* 6, 256
 Opheltes *Cyzicenus* 3, 198
 Ophiusa *urbs* 6, 85
 Orcus 1, 784
 Orestes 7, 148
 Orion 1, 647; 2, 62. 508; 4,
 123
 Orithyia 1, 468
 Ornytus *Cyzicenus* 3, 173
 Orpheus 1, 187. 470; 2, 426

- Ossa *mons* 2, 16; 5, 496; 7, 606. *Ossaea quercus* 1, 448
Otaces Hiberus 6, 121
Otaxes Scythia 6, 529
Othrys mons 1, 24; 6, 392
Otreus Mariandynus 4, 162
- P**
Padus fluvius 1, 527; 8, 90
Paeones 4, 280
Pagasae 5, 191; 8, 451. *Pagaseia puppis* 1, 422. *Pagasaeta iuventus* 7, 556, *puppis* 8, 378, *pinus* 5, 435
Pallantis 2, 72
Pallas 1, 73. 87. 126. 215. 530. 642; 2, 53; 3, 489; 4, 238. 555; 5, 183. 293. 345. 626. 649. 652; 6, 173. 740; 8, 224. *Palladius* 1, 457. 478; 5, 206; 6, 408; 7, 624; 8, 292. 462
Pallene peninsula 2, 17
Pan 3, 47. 48
Panchaia 6, 119
Pangaea promunturium 2, 359
Pangaea arx 1, 575. 598, *iuga* 4, 631
Panope nympa 1, 134; 2, 590
Parcae 1, 502; 5, 531; 6, 693
Parium urbs 2, 622
Parius lapis 2, 466.
Parnassus mons 6, 392. *Parnasia uox* 3, 618
Parrhasius galerus 4, 138
Parthaonides Meleager 3, 705
Parthenium latus 5, 103
Parthi 6, 691
Pauor 2, 204; 3, 89
Pelasgi 2, 658. 660; 3, 45. 126. 221; 4, 352; 5, 474.
Pelasgus dux 5, 682. *Pelaspas puppis* 5, 116
Peleus Argonauta 1, 131. 144. 264. 266. 403; 3, 138
Pelias 1, 22. 154. 162. 200. 700. 849; 2, 4; 4, 555; 5, 483. 493; 7, 40. 92. 98. 316. 447; 8, 155
Pelion mons 2, 6. *Peliascus* 1, 95. 406; 3, 353; 8, 517. 451
Pella urbs 1, 365
Pelops 1, 512; 7, 284
Pelorus promunturium 1, 579
Peneia laurus 1, 386
Pentheus 3, 264. *Penthea aula* 7, 301
Percosia coniunx 3, 10
Percote urbs 2, 622
Pergama 2, 489. 571; 3, 513
Periclymenus Argonauta 1, 388
Perseis 7, 238. *Perseia Hecate* 6, 495. *Perseia proles* 5, 581. *Perseae uires* 7, 450
Perses 3, 493. 502; 5, 266. 271. 284. 529. 634. 678; 6, 15. 26. 30. 34. 75. 605. 725. 741
Perseus 1, 68; 5, 497; *sidus* 2, 63
Peuce insula 8, 217. 293. 376;
Peuce nympa 8, 256
Peucon Scythia 6, 564
Phaethon 5, 429; *nomen Solis* 3, 213
Phalces Scythia 8, 88. 245. 554
Phalerus Argonauta 1, 398; 4, 654; 6, 217
Pharus 4, 417; 5, 423. *Phariae carinae* 1, 644. *Pharia terra* 4, 408. *Phariae matres* 7, 113. *Pharia antra* 2, 318
Phasiades Thydrus 6, 640
Phasis 1, 2. 43. 78. 87. 518; 2, 379. 598; 3, 306. 501. 662; 4, 545. 616. 706; 5, 51. 179. 205. 208. 299. 342. 421. 440; 6, 295. 319. 641. 643; 7, 220. 564

- Phasis *numen fluminis* 5, 426
 Pheraei campi 1, 444
 Philyra 5, 152
 Phineus 4, 425. 433. 444. 467.
 473. 500. 629; 5, 5. 127.
 Phineia tecta 4, 504
 Phlegethon 1, 735
 Phlegra 1, 564; 6, 169. Phleg-
 raeae pugnae 5, 692
 Phlegyas 2, 193
 Phlegyas *Cyzicenus* 3, 125
 Phlias *Argonauta* 1, 412; 3,
 149
 Phlogius *comes Herculis, postea*
Argonauta 5, 114
 Phoceus *Cyzicenus* 3, 204
 Phoebe 4, 361; 7, 366
 Phoebus 1, 5 230. 311. 383;
 2, 76. 316; 3, 437. 481. 541.
 559; 4, 76. 98. 468; 5, 331.
 403. 483. 595; 6, 468; 8, 116.
 Phoebeius 1, 228. Phoebeus
 3, 372
 Pholoe *mons* 1, 140; 3, 66
 Pholus *Centaurus* 1, 338
 Phorcys 3, 727
 Phrixus 1, 41. 272. 279. 291.
 328. 377. 520; 2, 600; 4, 556;
 5, 186. 194. 197. 225. 229.
 256. 263. 461. 474. 476. 499.
 509. 510. 525; 6, 11. 446.
 542. 593. 598; 7, 14. 38. 120.
 136. Phrixus 1, 391; 2,
 586; 5, 632; 6, 150; 8, 75.
 119. 267
 Phrixus *Scytha* 6, 70
 Phrontis, *filiOs Phruxi* 5, 460
 Phryges 2, 485. 551. 579; 4,
 78; 7, 635. Phrygia 2, 634.
 Phrygius 1, 9. 549; 2, 417. 625;
 3, 6. 23. 512; 4, 164; 5, 501.
 694
 Phylace *urbs* 1, 474
 Picus *Circes maritus* 7, 232
 Pindus *mons* 5, 496
 Piresius 1, 356
 Pisa 1, 664
 Pitya *urbs* 2, 623
 Pleiades 5, 46
 Pleione 1, 738; 2, 67
 Plias 1, 647; 2, 357. 406; 4,
 269; 5, 305. 415
 Poeantius *Philoctetes* 1, 391;
 Poeantia corda 3, 722
 Poena 1, 797
 Pollux 1, 220; 3, 149. 330.
 667. 723; 4, 190. 225. 271.
 299. 303. 312. 331. 757; 8,
 245
 Polyphemus *Argonauta* 1, 457
 Polyphemus *Cyclops* 4, 107
 Polyxo *uates* 2, 316
 Pontus 1, 716; 2, 630; 4, 318.
 561. 590. 712. 723; 5, 165.
 Ponticus 1, 800
 Priamus 2, 572
 Prion *Geticus* 6, 619
 Procnessus *insula* 3, 34
 Prometheus 5, 154. Prome-
 thea fibra 7, 356
 Propontis 2, 646
 Proserpina 5, 345
 Proteus 2, 318
 Protis (?) *Cyzicenus* 3, 158
 Psamathe *fons* 1, 364
 Pylia hasta 6, 202
 Pyragmo *Cyclops* 1, 583
 Pynus *Cyzicenus* 3, 112
 Pyrois 5, 432
 Pyrrhae genus 6, 390
 Rabies 2, 206
 Rhadalus *Scytha* 6, 69
 Rhambelus 6, 529
 Rhebas *fluvius* 4, 698
 Rhodope 1, 664. 728
 Rhoetus (Rhoecus?) *Centaurus*
 1, 141; 3, 65
 Rhundacus *fluvius* 3, 35
 Rhyndacus *Scytha* 6, 220
 Riphaeus 2, 516; 5, 558. 599;
 6, 33. 119; 7, 562

- Ripheus *Scythia* 6, 558
 Romanus miles 6, 55; Romanae legiones 6, 402
- Sabaei 6, 138. Sabaeus flos 6, 709
 Sages *Cyzicenus* 3, 182
 Salmonius 1, 662
 Salmonis nymphea 5, 478
 Samothracia 2, 439
 Sarmatae gens *Scythica* 6, 162.
 Sarmaticus 2, 176; 5, 424; 6, 232; 8, 207. 217
 Satarchae gens *Scythica* 6, 144 sq.
 Saturnus 3, 226; 5, 153. Saturnia *Iuno* 1, 112. 305. 530; 2, 364; 4, 543; 6, 458, 477; 8, 324. Saturnia sidera 2, 364
 Sauromatae proci 7, 235
 Sciathos *insula* 2, 8
 Scylaceon *promunturium* 3, 36
 Scythia 1, 43. 745; 4, 617; 5, 525; 6, 7. 34. 115. 350. 647. 728; 7, 424; 8, 209. Scythicus 1, 2. 59, 345. 442. 503. 716; 2, 379. 575. 596. 649; 3, 307. 496. 617; 4, 9. 728; 5, 224. 325. 516; 6, 49. 319; 7, 42; 8, 185. Scythides 5, 342
 Sepias *promunturium* 2, 9
 Sesostris 5, 418
 Sestos *urbs* 1, 285; 5, 201
 Sibotes *Colchus* 6, 249
 Siculus 1, 136. 589; 2, 24. 620; 5, 344; 7, 648. Sicanium fretum 2, 29
 Sidones gens *Scythica*: Sidoniae habenae 6, 95
 Sidon *urbs* 1, 20
 Sidon *Scythia* 6, 69
 Sigeus 2, 446. 498. 557
 Sindi gens *Scythica* 6, 86
 Sinope *urbs* 5, 108. 109.
- Sirius *stella* 1, 683; 5, 369
 Sol 1, 44. 504; 3, 401. 730; 4, 92; 5, 224. 263. 456. 567. 581; 6, 442. 518; 8, 282. 350. 459. Soligena *Aeetes* 5, 223. 317
 Strophades *insulae* 4, 513
 Strymon *Scythia* 6, 193
 Styruis sponsus *Medeae* 3, 497; 5, 459; 6, 266. 275; 8, 299. 329. 335
 Styx 1, 464; 4, 401. Stygius 1, 730. 781; 2, 106. 173. 602; 3, 398. 446. 450; 6, 155; 7, 364; 8, 87
 Suetes *Scythia* 6, 550
 Syenes *Scythia* 6, 74. 703
 Symplegas 4, 221; 5, 299
 Syrtes 4, 716; 7, 86
- Taenaros *promunturium* 1, 365.
 Taenarius 1, 427; 5, 512
 Tages *Scythia* 6, 223
 Talaus *Argonauta* 1, 358; 3, 471. 478; 5, 366; 6, 720
 Tanais *fluvius* 1, 538; 4, 719
 Taras *fluvius* 6, 102
 Tartarus 4, 258; 7, 312, Tartareus 1, 730. 828; 3, 212. 665; 4, 393. 579; 6, 435; 7, 632; 8, 83
 Taulas *Scythia* 6, 221
 Taurorum loci 2, 301
 Taurus 1, 647; 2, 620
 Taxes *Scythia* 6, 252
 Taygetos mons 1, 429; 4, 229.
 Taygeta 4, 329
 Tegeaeum limen 1, 375
 Telamon *Argonauta* 1, 166. 353; 2, 384. 451. 540; 3, 198. 637; 6, 345. 364
 Teleoon *Cyzicenus* 3, 140
 Tempe 8, 452.
 Terror 3, 89
 Tethys 2, 36; 5, 431
 Teucer 1, 511

- Teucris 4, 58
 Teutagonus *Scythia* 6, 97
 Thamyras *dux Pelasgorum* 3, 128
 Thapsus *Cyzicenus* 3, 191
 Thaumantias *Iris* 7, 398; 8, 116
 Thebae *urbs Boeotiae* 3, 69
 Thebae *urbs Aegypti* 5, 420.
 Thebe 6, 118
 Thermodon *fluvius* 4, 601; 5, 121
 Theseus 2, 193; 3, 65; 4, 701
 Thespia *moenia* 1, 478. *Thespiaca moenia* 1, 93. *Thespiades Argus* 1, 124. *Thespiades Tiphys* 2, 368; 5, 44
 Thessalia 5, 474; 6, 598; 8, 170
 Thessalus 7, 40. 437. *Thessalus* (adj.) 1, 607; 2, 445; 3, 13; 5, 277; 8, 380. *Thessalis* 1, 737. 780. *Thessalicus* 1, 244. 380. 424; 3, 173; 5, 218. 480. 530. 622. 683; 7, 1. 146. 198. 220; 8, 161. 421
 Thetis 1, 131. 190. 658; 2, 286. 590
 Thoas *rex Lemni* 2, 418. *Thoantea Diana* 8, 208
 Thoe *Amazonis* 6, 375
 Thraces 2, 107. 251. 406.
Thraces equi 1, 611. *Thracia* 2, 202. *Thracia proles* 3, 705. *Thracius uates* (sacerdos) 1, 277; 4, 85. *Thracia sacra* 2, 432. *Thraessae* 2, 132. 165. *Thraessa manus* 2, 239. *Thraeissa* 2, 147
 Thybris 6, 406
 Thydrus *Colchus* 6, 639
 Thyias 3, 265; 5, 81; 8, 447.
 Thyiades 6, 757
 Thynea *litora* 4, 424
 Thyoneus 1, 726
 Thyotes *sacerdos* 2, 438
 Thyrsagetae *gens Scythica* 6, 135. 140
 Tibareni *populus* 5, 147
 Tiberinus 7, 84
 Tibisena *ostia* 6, 50
 Tiphys *Argonauta* 1, 419. 481. 649. 689; 2, 390; 3, 2. 37. 259. 483. 614; 4, 695; 5, 15. 25. 42. 102; 8, 181
 Tirynthius 1, 107. 253; 2, 373. 575; 3, 133. 161. 485. 565. 590; 4, 5; 6, 462; 7, 623; 8, 125
 Tisaea *Diana* 1, 7
 Tisiphone 2, 194; 3, 214; 4, 394. 410; 6, 403
 Titan *Sol* 2, 37. 57. *Titanus* 4, 91; 5, 463; 6, 79; 7, 347. *Circe Titanis* 7, 212
 Titan *Prometheus* 4, 79; 5, 169. *Titanus* 5, 156; 7, 449
 Tithonia 1, 311; 3, 1
 Tityus 3, 226
 Tonans 2, 560; 4, 119
 Toryni *gens Scythica* 6, 144 sq.
 Trinacria 2, 32. *Trinacrium aequor* 1, 579
 Triton 1, 679
 Tritonia *Pallas* 1, 93; 2, 49; 7, 442
 Triuia 3, 68. 321; 5, 103
 Troia 1, 552; 2, 558. 574. 579; 4, 58
 Tuscum *mare* 7, 234
 Tydeus *Argonauta* 1, 387; 3, 103
 Tyndareus *puer* 1, 167. *Tyndarei fratres* 1, 571. *Tyndarides* 3, 187; 4, 247. 290; 5, 367; 6, 207. 212
 Typhoeus 2, 24; 4, 236.
 Typhon 3, 130; 4, 516; 6, 170. *Typhonides* 4, 428
 Tyres *uel Tyra fluvius* 4, 719; 6, 84
 Tyres *Scythia* 8, 201

Tyriae carinae 1, 17. 644.	Vesuius 3, 209. Veseuus 4, 507
Tyrium ostrum 2, 342	Vmber edax 6, 420
Tyrrhenus 4, 715. Tyrrhenus piscis 1, 130, magister 7, 83.	Voraptus <i>Scytha</i> 6, 288
Tyrrhena antra 1, 576	Vulcanus 2, 88. 336; 6, 433.
Tyrus 4, 632	Vulcanius 2, 78; 4, 440. 686
Vanus (?) <i>sacerdos</i> 6, 115	<i>Zacorus Scytha</i> 6, 554
Venus 2, 68. 98. 126. 175. 187. 196. 209. 315. 324. 331. 355. 626; 4, 13; 6, 455. 528; 7, 158. 171. 193. 210. 223. 252. 254. 373. 394. 399; 8, 232	<i>Zelys Cyzicenus</i> 3, 152
	<i>Zephyrus</i> 1, 190. 350. 611. 640
	<i>Zetes Argonauta</i> 1, 469; 4, 465. 466
	<i>Zetes Colchus</i> 6, 572

II.

Loci Vergiliani.

[Versus Vergilianos a Valerio expressos partim anteriores Argonauticorum editores, partim nostro saeculo Peerlkampius, W. Ribbeckius, J. Greiffius, C. Schenkelius, alii adnotarunt. quorum collectiones nos passim correximus auximusque. — uersibus Valerianis praepositis ita subiecimus Vergilianos ut nota non addita significantur Aeneidos libri.]

I.

1: I 1.	56: VI 546.
3: IV 361. VII 300.	62: II 211.
4: X 372.	63: IV 485.
5: VII 41,	70: Ge. I 8.
7: Ge. I 12.	73 sq.: III 544.
10: VI 365.	82: III 194.
13: VI 366.	84: VI 463.
15: I 416. IV 199. VIII 716.	94: III 6.
34: XI 680.	100: VIII 151.
51: V 397.	101: VII 162.
55: IX 311.	102: VIII 144. IX 720.
	105: IV 358.
	108: X 140.

- 142: I 150. II 764 sq.
 143 (II 409): VII 248. IX 40.
 149: I 494 sq.
 151: XI 372.
 156: I 227. V 255. XII 247.
 165: IX 199.
 186: III 128. V 140.
 191: X 319.
 193: V 77.
 196: III 602.
 208 sqq.: VI 47 sqq.
 210: IX 112.
 217: I 204.
 218: VIII 34.
 237: I 207.
 249: I 203.
 252: I 214.
 254: I 701.
 260: Ecl. V 67.
 262 (V 376): X 446.
 266 (VI 327): III 473.
 269 sq.: VIII 515 sq.
 271: II 355. IV 310.
 274: III 508
 287: III 711.
 306: IX 13.
 318: IV 667.
 323 sqq.: VIII 574 sqq.
 336 sq.: VIII 560 sq.
 337: Ge. II 457.
 347: VI 693.
 350: I 223.
 382: II 198.
 423: III 280.
 427 sqq.: IV 262 sqq.
 434: V 376.
 448: Ecl. II 8.
 476: XII 649.
 486: V 37. II 470.
 488: IV 580.
 505: I 234.
 508 (IV 42): IV 553.
 509: I 61.
 528 (V 526): XII 894.
 539: VII 644.
 542: II 324.
 559 sq.: I 17 sq.
 568 sqq.: II 693 sqq.
 580 sq.: IV 445 sq. Ge. II
 291 sq.
 582: I 162.
 583: VIII 425.
 586 sq.: I 133 sq.
 596: I 83.
 609 sqq.: I 81 sqq.
 613: VII 31.
 616 sq.: I 89 sq.
 618 sq.: I 104 sq. IX 476.
 625: III 687.
 634: VIII 221.
 642: I 127.
 658: I 144. V 241.
 659: III 545.
 662 sqq.: VI 585 sqq.
 664: Ge. I 332.
 667: III 528. V 235. I 53.
 683: III 215.
 687: VI 1.
 694: X 843.
 696: VII 577.
 700 sq.: IX 420 sq.
 702 sq.: X 377.
 715: IX 390 sq.
 723 sq.: I 461.
 725 (VIII 331): VI 122.
 729: II 528.
 733: I 209.
 749: I 98. X 597.
 762: II 673.
 763: IX 277.
 765: XII 883.
 766: IX 426.
 770: VIII 629.
 788: VI 264.
 789: XI 338 sq.
 806 sq.: IV 384 sqq.
 817: III 252. VI 605.
 821 (III 326 sq.): II 533.
 823: VI 427.
 833: VII 607.
 836 sqq.: VI 660 sqq.
 844 sq.: VI 638 sqq.

848 sq.: VI 565. 571—75.
850: VI 305.

II.

1 sq.: V 1 sq.
8: III 72.
9: III 552.
13: III 207; 532
25: I 44.
30 sq: III 575 sqq.
43: II 737. IX 385. XI 530.
48: II 777.
83: I 563.
93: XII 386.
103: X 138.
105: IV 643 sq.
107: IX 595.
115: VIII 529. X 633.
117: IV 190.
122: IV 187. IX 608.
127: IV 223. III 462.
137 sqq.: VIII 411 sqq.
147: II 662.
165: XII 494.
169: IV 649.
171: XII 457 sq.
174: V 618.
178 sq.: IV 670 sq. II 290; 630
184: IX 186 sq.
186: V 643
188 sq.: II 248 sq.
193 sqq.: VI 618 (605 sqq.)
195: VIII 487.
196: VII 397.
203: VII 518.
205: XII 335 sq.
209: II 199.
216 (VIII 312): VI 560.
218 sq.: Ge. II 488 sq.
221: III 630.
222: IX 345.
226: II 773.
227 sq.: IV 469.
230: IX 340.
231 sq.: II 196 sq.
233: IX 434.

235: VIII 491. IX 568.
242 sq.: IX 252 sq.; 296.
244 sqq.: IX 446 sqq.
253: XII 777 sq.
258: II 227.
261: VII 26.
263: X 791.
288: II 255.
336: VIII 275.
345: III 324.
346: I 697 sq.
350 sqq.: I 748 sqq.
372: IV 562.
375: XI 269. II 780.
385: IV 203. X 368
398 sq.: IV 550 sq.
414: V 252.
435: III 285.
442: III 289.
448 sqq.: I 174 sqq.
456: II 745.
465 sq.: I 592 sq.
466: III 444.
468: X 149.
479: III 658.
484: II 129.
490: VI 365 sq.
522: VI 470.
525 sq.: XII 666 sqq.
534: VIII 220. XI 553 sq.
537: IV 168.
548: X 723.
549: Ge. III 227.
553: X 122.
555: XI 716.
567: IV 563.
573 sq.: I 26 sqq.
580: VII 8.
587: VI 776.
594 sq.: VII 293 sq.
610: XII 952.
611: VI 244.
613: VI 96 sq.
618 sqq.: III 414 sqq.
619: XI 425.
624: IV 302.

628: V 9.
 639: VIII 124.
 650 sq.: I 631 sq.
 652 sq.: VI 603 sqq.
 653: I 705.
 664 sq.: VI 535.

III.

1: XII 210.
 3: IV 130.
 8 sqq.: III 482 sqq.
 10 sq.: III 263 sq.
 18: XI 165. III 83.
 20: III 125.
 32: III 147. IV 522.
 33: II 9.
 38: VI 302.
 45: II 290.
 47: IV 378.
 66: IV 470.
 77: XII 270. VI 594.
 81: VII 390 *alibi*.
 85: XII 332.
 86: II 498.
 87: II 341.
 90: Ge. III 91.
 91 sqq.: XII 451 sqq.
 99 (V 175. VI 235. VIII 33):
 X 541.
 107: IX 349.
 113: II 298.
 114: VI 523.
 124 (VIII 262; al.): VI 587.
 125: II 41.
 136: X 340.
 142: IX 373.
 153: X 810.
 157: X 513.
 165 sq.: V 436.
 168: XII 300.
 169 sq.: X 829 sq. XI 688 sq.
 176: IX 50. XII 89.
 178 sq.: XI 818 sq.
 193 sqq.: IX 411; 744 sqq.
 208: VIII 421.
 210: VII 788.

213: V 105.
 230 sqq.: XI 732 sqq.
 231 sq.: IX 617 sqq.
 232: IV 304.
 243 sq.: XI 610.
 252: VII 331.
 257: IV 584.
 259: IX 375.
 270: V 742. VI 466. Ecl. II 60.
 280: IX 452 sq.
 281: II 438.
 284 sq.: VII 756. XI 41.
 287: X 731.
 290 sqq.: XI 42 sqq.
 294: XII 643.
 296: XI 166.
 299 sq.: III 712 sq.
 301 sqq.: IX 164 sq.
 304 sq.: II 69 sq.
 305: I 540.
 317: IV 327 sq.
 325: III 711.
 341: IX 488.
 344: VII 246.
 347 sqq.: XI 188 sqq.
 351: V 4.
 365: IV 2.
 370: I 209.
 386 (IV 231): II 661.
 412: VIII 56.
 431: IX 627. VI 39.
 455: VI 822.
 457: V 92.
 459: III 289.
 475: VI 172.
 486: II 723 sq.
 488: VII 511.
 490: III 473.
 499 sq.: VII 222 sq.
 514: I 46.
 520: VII 312.
 535: I 73.
 553: VII 568.
 555: I 352.
 574: IX 211.
 576 sq.: IX 812 sqq.

587 sqq.: XII 4 sqq.
 589: IX 62 sq.
 596: Ecl. VI 44.
 599: XI 157.
 609: V 487.
 613: X 830 sq.
 619: II 339.
 622: X 510.
 637: XII 527. IV 532.
 657: IV 433.
 664: III 629.
 670 sq.: XII 683.
 683 sq.: XI 312 sq.
 688: II 291 (IX 135).
 695: VIII 221.
 707 sqq.: XII 206 sqq. (V 359).
 711: XII 188.
 716: X 844.

IV.

1: IV 372. IX 209.
 2: V 296.
 12: X 18.
 25 sqq.: II 776 sqq.
 29: I 79.
 35: III 169.
 49: V 657 (IX 14).
 111: I 117.
 149: III 619.
 151: XI 27.
 164: I 651.
 177 sqq.: VIII 193 sqq.
 185: II 558.
 189: XI 121.
 193: XII 282.
 204 sq.: VII 112 sqq.
 206: IX 741.
 216: X 882.
 235: XII 670.
 243: XI 857.
 244: V 376; 422.
 273: V 446.
 274: XII 902.
 276: VIII 222.
 278: XII 903.
 286: XII 757.

288: VII 629. III 571. VIII 418.
 294: X 809.
 295: XI 812.
 303: VIII 299.
 304: I 105.
 305: VI 128.
 306: XII 713.
 322: XII 701.
 323: VIII 265; 618.
 327: VIII 301.
 328 sq.: V 391 sq.
 334: V 539.
 374: VII 760.
 386: Ecl. X 51.
 387 (VI 581): V 166. XI 855.
 389: III 515.
 393: IV 667.
 398: II 274.
 417: VII 790.
 453: sqq.: III 227 sqq.
 455: IX 667. XI 635.
 458: VI 882.
 467: I 617.
 471: VII 548.
 476: IV 12.
 484: I 377. III 338 *alibi*
 513: III 210 sq.
 593: I 210.
 608: XI 662 sq.
 624 sq.: III 718.
 627: XII 699.
 629 sq.: XI 508 sq.
 649: XI 731.
 652: VII 498.
 674 sq.: II 701. IX 21.
 686 sqq.: VII 462 sqq.
 735 sq.: VIII 119 sq.
 736: VII 229.
 761: VIII 275. XII 118.

V.

26: IX 212.
 28: V 207.
 41: VI 429. XI 28.
 60: III 207. VI 220.

75: IV 12.
 76: VIII 645.
 82: IV 298.
 87: I 257 sq.
 91: V 44.
 127: VI 620.
 198: III 304.
 209: VII 792.
 254: V 56.
 259 sqq.: V 522 sqq.
 275: XI 2.
 276: III 356.
 284: XII 218.
 287: VI 71.
 299: XI 227.
 326: VII 274.
 329: III 307.
 353: II 212 sq.
 364: XII 801.
 365: I 590 sq.
 367: IV 150.
 368 sq. (VI 607 sq.): X 272 sq.
 375: I 495.
 417: III 105.
 445: IV 473.
 447: II 31.
 456: XI 36.
 458: VII 653.
 465 sqq.: I 580; 588 sqq.
 502 sq.: VII 235.
 508: VI 66 sq.
 509: IV 319.
 519: IV 220.
 533: VI 80.
 535: XI 304.
 564: VII 804 (XI 433).
 578: VI 808.
 600: XI 380 sq.
 601: VIII 94.
 605: VII 642.
 649 (VI 725): II 407.
 669: I 524.

VI.

14 sqq.: VIII 9 sqq.
 15: XI 332.

34 sqq.: VII 41; 641 sqq.
 36 sq.: VI 625 sq.
 58: XII 164.
 66: II 87.
 83: VII 741.
 86: IV 13.
 97: X 485.
 118: VI 287.
 174: XII 88.
 178: VI 278 sq.
 229: XI 650.
 231 (IV 266): IX 57.
 261: Ge. II 123.
 269: IX 208.
 274: II 457.
 288: XI 158.
 313: IX 485.
 331: Ge. III 343.
 336 sq.: IX 603 sq.
 344: II 95.
 345: X 261 sq.
 353 sqq.: X 356 .sqq.
 371: X 410.
 378: VIII 220.
 379: XI 698.
 463: XII 647.
 469 sq.: I 385 sq.
 492: VI 708.
 497 (VII 181): X 194.
 509: XI 645.
 517 sqq.: XII 329 sq.
 527 sq.: VIII 589 sq.
 554: X 751.
 561: X 781 sq. XI 104.
 564: X 205.
 576: X 146.
 583: Ge. II 142.
 603: XII 424.
 622: X 275.
 626 sqq.: X 467 sqq.
 632 sqq.: XII 684sqq.
 651: XI 372.
 653 sq.: IX 698 sqq.
 673: VII 356.
 680: VII 541.
 684 sq.: XII 283 sq.

716: V 374.
 726: IX 480 (Ge. IV 515).
 745: I 412.

VII.

3: VI 539. VIII 369.
 8: I 386.
 49: X 79.
 119: IV 39.
 122: I 713. VIII 618.
 124: VII 490.
 142 sqq.: IV 465 sqq.
 148 sqq.: IV 471 sqq.
 172 sq.: IV 22 sq.
 201: IX 10.
 203: XI 49.
 228: VIII 275.
 243: IV 55.
 254 sq.: I 687 sq.
 256: IV 283.
 258: XI 41.
 273: II 136. .
 289: I 614.
 312: III 217. VI 360.
 314: II 85. X 662. XII 884
 333 sq.: III 214 sq.
 366: III 637.
 405: III 680.
 408: X 162.
 411: XII 65.
 420: XII 874.
 421: X 669.
 426: V 386.
 428: II 660.

478 sq.: Ecl. IV 51.
 487: XII 62.
 497: VII 454.
 501: IX 256.
 514: XI 480.
 555: Ge: I 162.
 581 sqq.: XI 624 sqq.
 620: XI 487.
 650: XII 2.

VIII.

9: IV 659.
 35: X 63.
 41: XII 832.
 55: VI 476.
 84: V 854 sq.
 90 sq.: IX 30 sqq.
 113 sq.: Ecl. I 58.
 139 (I 687. V 586): V 662.
 174: II 34.
 207 sqq.: VII 759 sq.
 217: III 210.
 226 sqq.: IV 141 sqq.
 254: I 212. Ge. I 296.
 255 sqq.: VIII 176 sq.
 263: I 324.
 287: IV 399.
 301: XII 294.
 316: IV 564.
 347 sq.: XII 99 sq.
 409 sqq.: IV 296 sqq.
 444: IV 390. X 554.
 445: II 407.
 464: VI 468.

Horatii carmina	Mk. 1 —	Porphyriion	Mk. 4 20
Jurisprudētiaē anteiust. reliq. „	6 75	Propertii carmina	— 60
Justinianus	1 —	Quintiliani inst., 2 voll.	2 40
Justinus	2 70	Quintiliani inst., lib. X	— 30
Justinus Editio minor	— 90	Rutilius Namatianus	— 75
Juvenalis satirae	— 45	Sallustius	— 45
Livii opera, 6 voll. (& 1 Mark) „	6 —	Scriptores hist. Aug., 2 voll.	5 10
Lucretius	1 50	Senecae opera philos., 3 voll.	7 80
Macrobius	5 40	Senecae tragoediae	4 50
Martialis epigrammata	1 50	Seneca rhetor	4 50
Martianus Capella	4 50	Statius, 2 voll.	3 60
Metrologici scriptores, 2 voll.	5 10	Suetonius	1 50
Mureti scripta selecta, 2 voll.	2 40	Taciti opera, 2 voll.	2 40
Ovidii opera, 3 voll.	2 90	— libri minores	— 45
— tristia	— 45	Terenti comoediae	1 20
— fasti	— 60	Tibulli carmina	— 30
— metam. delectus	— 60	Ulpianus	— 75
Panegyrici latini	3 60	Valerius Maximus	3 75
Persius	— 30	Velleius Paterculus	— 60
Phaedri fabulae	— 30	Vegetius	3 —
Plauti comoediae, 2 voll.	2 70	Virgillii opera	1 35
— Jedes Stück einzeln	— 45	Daraus einzeln:	
Plini epistolae	1 20	— Bucolica et Georgica	— 45
Plinii nat. hist., 6 voll.	12 —	— Aeneis	— 90

Schulausgaben griechischer und lateinischer Klassiker

	Mk. Pf.
Aeschylus' Agamemnon. Von Rob. Enger und Gilbert. 2. Aufl.	2 25
— Perser. Von W. S. Teuffel 2. Aufl.	1 20
— Prometheus. Von N. Wecklein	1 80
— Prometheus. Von L. Schmidt	1 20
Anthologie aus den Lyrikern der Griechen. Von Dr. E. Buchholz.	
I. Bändchen. Die Elegiker und Iambographen enthaltend. 2. Aufl.	1 20
II. Bdchn. Die Melischen u. Chorischen Dichter u. die Bukol. enth. 2. Aufl.	1 80
Aristophanes, die Wolken. Von W. S. Teuffel	1 50
Arrian's Anabasis. Von Dr. K. Abicht. I. Heft. Mit 1 Karte	1 80
Caesarian commentarii de bello Gallico. Von A. Doberenz. 6. Aufl.	2 25
— — de bello civili. Von A. Doberenz. 3. Aufl.	1 80
Chrestomathia Ciceroniana. Von C. F. Lüders. I. Heft 1 Mk. 20 Pf., II. Heft	2 10
Ciceronis de officiis libri tres. Von J. v. Gruber. 3. Aufl.	1 50
— Laelius. Von G. Lahmeyer. 2. Aufl.	— 60
— Cato major. Von G. Lahmeyer. 3. Aufl.	— 60
— Cato major. Von C. Meissner	— 45
— Somnium Scipionis. Von C. Meissner	— 45
— Tusulanarum disp. libri V. Von O. Heine. 2. Aufl.	2 25
— de finibus bonorum et malorum. Von H. Holstein	2 70
— Rede für Cn. Plancius. Von E. Köpke. 2. Aufl.	1 20
— Rede für P. Sestius. Von H. A. Koch	— 90
— Rede für Sex. Roscius. Von Fr. Richter	— 75
— Rede für T. Annius Milo. Von Fr. Richter. 2. Aufl.	— 90
— divinatio in Q. Caecilius. Von Fr. Richter	— 45
— Rede gegen C. Verres. IV. Buch. Von Fr. Richter	1 —
— — V. Buch. Von Fr. Richter	1 —
— — für P. Sulla. Von Fr. Richter	— 60
— Reden gegen L. Catilina. Von Fr. Richter. 2. Aufl.	1 —
— Reden für Marcellus, für Ligarius und Delotarus. Von Fr. Richter	75
— Rede für L. Murena. Von H. A. Koch	— 75
— — üb. d. Imperium des Cn. Pompejus Von Fr. Richter	— 60
— Erste und zweite Philippische Rede. Von H. A. Koch	— 75
— Rede für den Dichter Archias. Von Fr. Richter	— 45
— de oratore. Von K. W. Piderit. 4. Aufl.	4 20
— Orator. Von K. W. Piderit	1 50
— Brutus de claris oratoribus. Von K. W. Piderit. 2. Aufl.	2 25
— Partitiones oratoriae. Von K. W. Piderit	1 —
— Ausgewählte Briefe. Von Josef Frey. 2. Aufl.	2 25
Cornelius Nepos. Von J. Siebelis u. Jancovius. 8. Aufl.	1 20
— Von H. Ebeling	— 75
Curtius Rufus. Von Th. Vogel. I. Bändchen. Buch III—V. 2. Aufl.	2 10
— — II. Bändchen. Buch VI—X. Mit 1 Karte	2 25
Demosthenes' neun philippische Reden. Von C. Rehdantz. I. Heft. 4. Aufl.	1 20
— — II. Heft. 3. Aufl.	3 30
Elegie, die Römische. Von B. Volz	1 80

	Mk. Pf.
Euripides' Phoenissen. Von G. Kinkel	— 75
— Medea. Von N. Wecklein	1 80
Herodotos. Von Dr. K. Abicht. I. Band. 3. Aufl. I. Heft. Buch I. nebst Einleitung und Uebersicht über den Dialekt 1 Mk. 80 Pf. II. Heft. Buch II	1 50
— II. Band. Buch III. u. IV. 2. Aufl.	2 40
— III. Band. Buch V. u. VI. 2. Aufl. IV. Band. Buch VII. 2. Aufl. à	1 80
— V. Band. Buch VIII. u. IX. Mit 2 Karten	1 80
Homer's Odyssee. Von K. Fr. Ameis und C. Hentze. 2 Bände in 4 Heften. 6. u. 5. Aufl. Jedes Heft à 6 Gesänge	1 35
— — Anhang. 4. Hefte. Jedes Heft	à — 90
— Ilias. Von K. Fr. Ameis. 1. Heft. 2. Aufl. 2. Heft	à — 90
— — Anhang. 1. u. 2. Heft.	à — 75
Homer's Ilias. Von J. La Roche. 2 Bände	à 3 60
Auch in 6 Heften, je 4 Gesänge. 1. Heft 1 Mk. 50 Pf., die übrigen . . .	à 1 20
Horaz, Oden und Epoden. Von C. W. Nauck. 8. Aufl.	2 10
— Satiren und Episteln. Von G. T. A. Krüger. 7. Aufl.	2 70
Isocrates' ausgewählte Reden. Von O. Schneider. I. Bdchn.: Demonicus. Euagoras, Areopagiticus. 2. Aufl.	1 20
— — II. Bändchen: Panegyricus und Philippus. 2. Aufl.	1 50
Livi, Titi, ab urbe condita liber I. Von Josef Frey	1 —
— — liber II. Von Josef Frey	1 —
— — lib. XXI. Von L. Wölfflin	1 20
Lucian, ausgewählte Dialoge. Von C. Jacobitz. I. Bdchn.: Traum. Timon. Prometheus. Charon	1 —
— — II. Bdchn.: Die Todtengespräche. Göttergespräche. Der Hahn . . .	1 20
— — III. Bdchn.: Demonax. Der Fischer. Anacharsis	1 20
Lysias' ausgewählte Reden. Von H. Frohberger. I. Bändchen	1 80
— — II. und III. Bändchen	à 1 50
— — kleinere Ausgabe in 1 Band	3 —
Ovid's Metamorphosen. Von J. Siebelis. I. Heft, Buch I—IX. 8. Aufl. . . .	1 50
— — II. Heft, Buch X—XV. 7. Aufl.	1 50
— Fasten. Von H. Peter. 2 Hefte	3 60
Phaedri fabulae. Von J. Siebelis. 5. Aufl. Von F. A. Eckstein	— 75
Plato's ausgewählte Schriften. I. Bändchen: Die Vertheidigungsrede de. Sokrates. Kriton. Von Chr. Cron. 6. Aufl.	1 —
— — II. Bändchen: Gorgias. Von J. Deuschle. 2. Aufl.	1 80
— — — Anhang	— 90
— — III. Bändchen: Laches. Von Chr. Cron. 2. Aufl.	— 60
— — III. Bändchen, 2. Heft: Euthyphron. Von M. Wohlrab	— 45
— — IV. Bändchen: Protagoras. Von J. Deuschle. 2. Aufl.	1 20
Plautus' ausgewählte Komödien. Von E. J. Brix. I. Trinummus. 2. Aufl. . . .	1 20
— — II. Bändchen: Captivi. 2. Aufl. III. Bändchen: Menaechmi. 2. Aufl. à	1 —
Plutarch's Biographien. Von O. Siefert. I. Bd.: Philopoemen u. Flamininus .	— 90
— — II. Bändchen: Timoleon und Pyrrhos	1 20
— — III. Bändchen: Themistocles und Pericles. Von Fr. Blass	1 20
— — IV. Bändchen: Aristides und Cato. Von Fr. Blass	— 90
— — V. Bändchen: Agis und Kleomenes. Von Fr. Blass	— 90
Quintiliani institutionis orat. liber X. Von Dr. G. T. A. Krüger. 2. Aufl. . . .	— 75
Sallustius Von R. Dietsch. I. Theil: De Catilinae conjuratione	1 80
Sophokles. Von Gust. Wolff. I—IV. Theil: 2. Aufl. Aias. — Elektra. — Antigona. — König Oidipus	à 1 20
Supplementum lectionis Graecae. Von C. A. J. Hoffmann	1 50
Tacitus' Historien. Von K. Heraeus. I. Bändchen. I. u. II. Buch. 2. Aufl. . .	1 80
— — II. Bändchen. Buch III—V	1 80
— Annalen. Von A. A. Draeger. I. Band. Buch I—VI. 2. Aufl.	2 40
— — II. Band. Buch XI—XVI. 2. Aufl.	2 25
— Agricola. Von A. A. Draeger. 2. Aufl.	— 60
— Dialogu de oratoribus. Von G. Andresen	— 75
Terenti Hauton Timorumenos. Von W. Wagner	1 20
— — Phormio. Von Dziatzko	1 20
Theokrit' Idyllen. Von A. T. H. Fritzsche. 2. Aufl.	2 40
Thukydides. Von G. Böhme. I. Bd. 3. Aufl. I. Heft. Buch I. u. II., II. Heft. Buch III. u. IV.	à 1 50
— II. Band. 3. Aufl. I. Heft. Buch V. u. VI., II. Heft. Buch VII. u. VIII. à	1 50
Vergil's Aeneide. Von R. Kappes. 4 Hefte. Jedes Heft	à 1 20
Xenophon's Anabasis. Von F. Vollbrecht. I. Bd. Buch I—III. 5. Aufl. . . .	1 50
— — II. Bdchn. Buch IV—VII. 5. Aufl.	1 50
— Cyropädie. Von L. Breitenbach. 2. Aufl. 2 Hefte	à 1 50
— I. Heft: Buch I—IV. — II. Heft: Buch V—VII.	à 1 50
— Griechische Geschichte. Von B. Büchschütz. I. Heft. Buch I—IV. 3. Aufl. II. Heft. Buch V—VII. und Index. 3. Aufl. . . .	à 1 50
Memorabilien. Von R. Kühner. 2. Aufl.	1 50

1000

1000

